SPECULUM

THEOLOGICUM.

[illegible]

[illegible]

FR. THOMÆ DE JESU

ORDINIS MINORUM EXCALCEATORUM ALMÆ SANCTI PETRI DE ALCANTARA PROV. NEAPOLIT.

SACRÆ THEOLOGIÆ LECTORIS

SPECULUM THEOLOGICUM

UNIVERSÆ THEOLOGIÆ MENTIS ET CORDIS

SIVE

SPECULATIVÆ AC MORALIS

PROSPECTUM EXHIBENS

PRO STUDIOSA TARDIORIS INGENII JUVENTUTE

ATQUE PRO INEUNDO EXAMINE

CONSTRUCTUM

OPUS

SANCTISSIMO JESU NOMINI

DICATUM.

NEAPOLI MDCCCXXVIII.
TYPIS GABRIELIS PORCELLI.

SUPERIORUM PERMISSU.

Quibus parum hoc opus est, mihi ignoscat: quibus vero satis, non mihi, sed Deo mecum gratias agat.

Aug. concl. ll. C. D.

Coloro, che giudicano assai breve quest' opera, ne scusino l'Autore: quei poi, che la credono sufficiente, ne rendano a Dio grazie coll' Autore.

SANCTISSIMO JESU NOMINI

EXCELSO COELESTI DIVINO
A DEO PATRE
UNIGENITO FILIO SUO
DONATO
PER ANGELUM DEIPARÆ VIRGINI
NUNTIATO
SUPER ALIUD OMNE NOMEN
ELEVATO
IN COELIS TERRIS INFERIS FLEXO GENU
ADORANDO
AB OMNI SEMPER LINGUA
LAUDANDO
PRO SALUTIS ÆTERNÆ SECURITATE
INVOCANDO
THEOLOGICUM HOC SPECULUM
SUPPLEX DEVOTUS ACCLINIS
FR. THOMAS DE JESU

D. C. O.

AL SANTISSIMO NOME DI GESÙ.

SONETTO.

Non est aliud Nomen datum hominibus.
Act. 4.

Alla virtù ricorri, ed eccellenza
Del Nome di Gesù, nostra speranza.
In Esso chi ripon sua confidenza,
Favori ne riporta in abbondanza.

A lui voler non manca, nè potenza,
Come l' Autore di Nuov' alleanza;
Onde inchinato alla sua presenza,
Chiedi che vuoi, ma senza esitanza.

O Gesù, Fonte di beneficenza,
Dammi de' tuoi precetti l'osservanza
Mercè de' doni, e grazie l' affluenza.

Dammi nel bene oprare la costanza:
Di tua dottrina dammi la sapienza:
In vita, e in morte la perseveranza.

FR. THOMÆ DE JESU

ORDINIS MINORUM EXCALCEATORUM ALMÆ S. PETRI DE ALCANTARA PROVINCIÆ NEAPOLITANÆ

SACRÆ THEOLOGIÆ LECTORIS

SPECULUM THEOLOGIÆ MENTIS

IN QUO

UNIVERSÆ THEOLOGIÆ DOGMATICO-SPECULATIVÆ

PROSPECTUS EXHIBETUR

PRO TARDIORIS INGENII CANDIDATIS

ATQUE PRO SUBEUNDO EXAMINE

CONSTRUCTUM.

Clara est sapientia, et facile videtur ab his, qui diligunt eam; et invenitur ab his, qui quaerunt illam.

Sap. 6.

La Divina Sapienza non ha la sua luce nascosta: perciò di facile si apprende da chi la studia, e volentieri si scopre a chi la cerca.

SONETTO I.

Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus: hi tres unum sunt.
1. Jo: 5.

Un Dio la fè discuopre in tre Persone,
Ingenerata l'una, e generante,
Da cui quell' altra nasce in ogn' istante,
Che d' intelletto è Verbo, e di ragione.

La terza con egual perfezione,
Dal Figlio, e Padre in un sol cuore amante,
Spirato Amor deriva, e non spirante;
Nè questo è richiamato in questione.

Immenso mar, che tutto e mai diviso,
In fiumi tre distinti ancor si spande;
Nè con i fiumi 'l mar divien più grande.

Monarca in trino soglio Ei solo assiso:
Gran Sole in triplicata luce ancora;
L' è Dio, che Trino, ed Uno in fè si adora.

SONETTO II.

Verbum caro factum est; et habitavit in nobis.
Jo. 1.

Colui, che al sommo, e per natura e Pio;
Dell' Uomo al sol mirar, fin ab eterno,
La colpa, e ancor la pena nell' inferno,
Carne risolve farsi, essendo Dio.

Per sodisfar intanto al fallo rio,
Dal ciel discese poi nel sen materno
E nel più crudo nato, e freddo inverno
Pagò con morte atroce il prezzo, il fio.

Assunse il solo Verbo la natura
Umana; e la congiunse alla Divina;
La Madre sua lasciando intatta, e pura,

Con arte il Santo Spirto soprafina,
Formò quest' eccellente Creatura,
Dal sangue di Maria casta Regina.

SONETTO III.

Quis potest facere mundum, de immundo conceptum semine?
Job. 14.

Del nostro frale il Santo Giobbe ammira
Con pena, e duolo acerbo il seme immondo;
E gli occhi di sua mente intorno aggira,
Chi ne può far, dicendo, un figliuol mondo.

Quindi con fè s' inalza, e si ritira
Nell' ampio sen di Dio sempre fecondo;
E di quest' opra, che candore ispira,
L' arcano ne conobbe alto, e profondo.

Or dell' eccelso, e Divin Sagramento,
Nel primo istante, che fù concepita,
Maria ne riportò l' adempimento.

La grazia, che virtù contien più ardita,
La macchia tolse con propizio evento;
E la natura ne restò guarita.

CHIEDESI LUME DA DIO PER LO STUDIO.

SONETTO IV.

Si quis indiget sapientia, postulet a Deo.
JACOB. I.

Da Voi, che luce o Dio, siete increata,
Luce m' imploro, come a casta musa,
Deh fate, che mi sia pronta, ed infusa,
Or che allo studio l'Alma ho richiamata.

Da quella, o Dio, la mente illuminata,
Giammai nel suo pensar diviene illusa.
E se Minerva il brio darle ricusa,
Più di Minerva ne sarà dotata.

La vostra luce, o Dio, di fiamme ardenti
L'è pur feconda, e l'Alme in fiamme accende:
E poi la lingua muove ai casti accenti.

Da voi se dunque, o Dio, tutto dipende,
La mente, il cor, la lingua, ed i talenti,
Tutto convien, che a Voi cospira, e tende.

AD THEOLOGIÆ MENTIS CANDIDATOS.

PRÆFATIO.

Nec me praeterit, nec de literatorum provincia quem latet, ex naturalibus facultatibus, eisque subjectis disciplinis aliquam esse, quae peculiarem sibi laudem non promereatur. Verum ubi, vel simul acceptae, Sacrae Theologiae mentis, in qua Vos benevisos Juvenes instituere aggredior, comparantur, plurimum profecto lucis amittunt, atque decoris. In limosa veluti valle naturalis disciplina quaevis jacere videtur, cum breves mundanae sphaerae fines excurrere non valeat. Sacra vero Theologia sese, pro maxima sui virtute, ad plagas erigit altissimas, coelos quoque penetrat, atque ad Deum ipsum extollitur, in ejus sinu res divinas contemplatura. Praestituto namque sibi, quo fulciatur, triplici Dei Verbo, Scripto *scilicet*, *ore* Tradito, *et ab Ecclesia infallibiliter* Definito, *haudquaquam falli timet, aut fallere ubi de fidei mysteriis disserere contingat. Profunda Dei, quantum fas est, scrutatur. Nec ipsi satis est Deum* ad intra, *uti nostri loquuntur, inspicere.* Ad extra *quoque illum mi-*

rabilia facientem admirari non omittit. Nec adhuc his conquiescit haec Sacra facultas. Ulterius in via Domini progreditur, ac Verbum carne indutum investigare contendit. Salutares item fontes illos Salvatoris, e quibus aquas in vitam aeternam usque salientes haurire omnes abbunde possint, detegit. Hi enim profecto fontes septem illa sunt Sacramenta, quae de Christi aperto latere fluxisse creduntur. Altitudinem hinc divitiarum sapientae, ac scientiae Dei, ubi de gratia, et praedestinatione res est, inquirere satagit. De vita postremo post hanc altera disserens, et beatam in Coelis, et in inferis miseram, et inter utramque mediam ostendit in expiationis loco. Nolo rem amplius in longum deducere. Ex hactenus brevi stylo memoratis maxime liquet, Sacram hanc Theologicam facultatem prae omnibus extolli naturalibus Disciplinis, ac singulis eripere palmas. Quapropter eam in spem ingredior, Vos Candidatos optimos plurimi semper hujusce Disciplinae studium facturos. Monitos autem vos volo, numquam me in votis habuisse subtiliorem Theologiam illam, quae paucis ab hinc retro saeculis Scholas occupabat; cui quo Juvenes ardentiori vacabant studio, eo minus in salutari hac Sapientia proficiebant. Elegantiorem alteram, ac jucundiorem, quae in potioribus oevi no-

stri Scriptoribus elucet, vobis exhibere contendo, procul missis quaestionibus illis, quae parum sunt, vel nullius momenti. Valete Optimi Juvenes, et spei maximae Candidati, meique in vestris ad Deum elevationibus, in Sacrificio potissimum Altaris, ac pretii nostri memores estote. At in omnibus uni semper Deo gloria sit, et honor, et gratiarum actio.

IN UNIVERSAM THÆOLOGIAM MENTIS.

PRÆLUDIA.

Q. 1. *Quid sit Theologia generatim sumpta?*

R. Vi nominis est *sermo de Deo*, ex graeco *Theos logos*, latine *Deus sermo*: et sic omnis de Deo sermo est *Theologia*, et *Theologus* omnis de Deo loquens. Vi naturae vero est *Scientia de Deo, rebusque divinis ex suis principiis, per discursum derivata*. Hinc sine discursu nulla Theologia est: et principia sunt vel *rationis*, vel *revelationis*?

Q. 2. *Quid, et quotuplex sit objectum Theologiae?*

R. Objectum sunt Deus, et res Divinae: nam id objicitur Theologiae inquirendum, et circa id ea versatur. Duplex est: *materiale*, idest quod de Deo concluditur ex Theologiae principiis; *formale*, idest modus concludendi, seu discursus.

Q. 3. *Quotuplex sit Theologia?*

R. Duplex est; *naturalis*, idest scientia de Deo ex principiis rationis; et *supernaturalis*, idest scientia de Deo ex principiis revelationis. Hinc altera differt ab altera, non ratione objecti, quia utriusque Deus est; nec ratione modi, quia utriusque discursus est; sed ratione principiorum tantum.

Q. 4. *Quot nominibus Theologia vocari soleat?*

R. Pluribus. Nam vocatur *mentis*, si sistat in intellectu, ut noscere Deum: *cordis*, si sit in voluntate, ut Deum diligere: *Mystica*, si cor dirigat ad coelestia: *polemica*, si urgeat fidei hostes: *adiaphora*, si agat de re citra fidem: *positiva*, si arguat simpliciori stylo, ut; Christus est Deus;

quia Deus erat Verbum, et Verbum caro factum est: *Scholastica*, si arguat stylo acutiori, ut; Christus est Verbum caro factum; atqui Verbum caro factum est Deus; ergo Christus Deus est.

Q. 5. *A quo sit origo Theologiae?*

R. Est immediate a discursu: nam hic ex principiis deducit conclusiones; quae Theologia sunt. At usus *positivae* coepit ab Apostolis, qui sic arguebant; Rom. 10. *Quis credidit auditui nostro? Ergo fides ex auditu.* Usus vero *scholasticae* coepit sub Damasceno 8. saeculo; crevit sub Petro Lombardo saeculo 12; refulsit sub Thoma, et Scoto saeculo 14.

Q. 6. *An Theologia sit necessaria?*

R. *Positiva*, necessaria est corpori Pastorum Ecclesiae: secus non constarent res fidei ex suis principiis: non vero *Scholastica*, sine qua prioribus 8. saeculis firma stetit fides. *Neutra* vero privatis fidelibus; 1. Cor. 12. *Numquid omnes doctores?*

Q. 7. *Estne saltem utilis Theologia scholastica?*

R. Est. Nam ea facilius confutantur hostium sophismata. Hinc facultas Parisiensis has damnavit Luthaeri theses. 1. *Theologia scholastica est falsa Scripturae interpretatio.* 2. *Cum coepit scholastica, periit Theologia Crucis.*

Q. 8. *An Theologia sit scientia; et qualis?*

R. Est. Nam si scientia est cognitio evidens; sic et est Theologia, tum ob evidentiam credibilitatis, quoad principia revelata; tum ob evidentium rationis quoad modum arguendi. Est vero scientia naturalis; quia ex naturali discursu profluit, qui fallibilis est.

Q. 9. *An conclusio Theologica sit de fide?*

R. Spectata in suis principiis, est de fide; quia

Deus revelavit principia, et quod continent. Spectata vero in discursu concludente, qui fallibilis est, de fide non est.

Q. 10. *An Theologia differat a fide; atque maneat nobiscum in Patria?*

R. 1. Differt. Nam ex *Aug.* et *Thom.* fides est habitus principiorum: Theologia habitus conclusionum ex principiis. 2. Est in Patria, ex Hjeron. epist. ad Paulam: *Discamus in terris, quod nobiscum manet in Caelis.*

Q. 11. *Quae sint principes Theologi dotes?*

R. Duae sunt. 1. Humilitas: nam Deus, qui docet hominem scientiam. *Psal.* 91. humilibus dat gratiam. 2. Amor veritatis: nam ex Aug. l. 2. de morib. Eccles. *Veritas abscondere se a suis amatoribns non potest.*

Q. 12. *Quis Opusculi hujus ordo sit?*

R. Est ejus distributio in decem tractatus I. De locis Theologicis. II. De Deo Uno. III. De Deo Trino. IV. De Deo Creatore. V. De Deo Gubernatore. VI. De Deo Incarnato. VII. De Sacramentis in genere. VIII. De Sacramentis in specie. IX. De Christi Gratia. X. De altera vita. Sit igitur.

TRACTATUS I.

DE LOCIS THEOLOGICIS.

Loci theologici sunt fontes, e quibus hauriunt argumenta Theologi. Duo proprie sunt *Ratio*, et *Auctoritas*. At quoniam auctoritas dividitur in auctoritatem *Scripturae*, *Traditionis*, *Ecclesiae*, *Conciliorum*, *Papae*, *Patrum*, *Theologorum*, *Philosophorum*, *Historicorum*; ideo decem sunt loci theologici.

CAP. I.

DE SACRA SCRIPTURA.

Sacra Scriptura est; *Verbum Dei scriptum afflante Spiritu Sancto, et ut tale ab Ecclesia receptum.* Dicitur *ut tale* etc. quia Ecclesiae est definire, an corruptum fuerit. Ejus doctrina quadruplex est; *legalis*, *historica*, *sapientialis*, *prophetica.* De ipsa inquiri solent canonicitas, genuinitas, veracitas, Divinitas, integritas, sensus, editiones, versiones.

ART. I.

Scripturae canonicitas, et genuinitas.

Q. 1. *Quid sit Scripturae canonicitas? Quidve canon?*

R. *Canonicitas* est declaratio Divinitatis Scripturae. *Canon* vero est catalogus divinorum librorum, ut hi sint fidei regula, et morum. Triplex est;

Judaeorum, *Catholicorum*, *Haereticorum*. De singulis potissima.

Q. 2. *Quid dicendum de canone Judaeorum?*

R. Fuit, et est apud Judaeos, ex Josepho hebraeo, Hjeronymo, etc. Continet 22 libros. At ex 5 Mosis faciunt unum; et sic de 4 Regum; etc. Ejus Auctor Esdras fuisse fertur.

Q. 3. *Quid de canone Catholicorum dicendum?*

R. Ante Tridentinum plures, qui nunc sunt, canonici non erant apud omnes: post Tridentinum, in canone sunt 45 Veteris, et 27 Novi foederis sacri libri. Non ex revelatione, sed ex Dei assistentia Concilium *Ses.* 4 in dubio praetulit affirmantem opinionem. Qui libri non sunt in Canone, *acanonici* vocantur; qui prius fuerunt, *protocanonici*; qui posterius *deuterocanonici*.

Q. 4. *Quid dicendum de Canone Haereticorum?*

R. Continet 1. libros Veteris Foederis, ut Judaeorum Canon 2. ex libris Novi foederis, lutharani rejiciunt Apocalypsim, pluresque epistolas: calvinistae vero has recipiunt, sed negant epistolam ad haebraeos esse D. Pauli.

Q. 5. *Quid sit genuinitas; et an genuini sint Scripturae libri?*

R. *Genuinitas* est attributio libri suo vero Auctori. Hinc liber, qui certo Auctori tribuitur *genuinus* est; qui vero ficto Auctori, *suppositus* vocatur. Libri fere omnes Veteris foederis incerti sunt auctoris, licet canonici. At Pentateuchus, et libri Novi foederis genuini sunt ex Traditione: nam semper, et ab omnibus tributi sunt Auctoribus, quos praeseferunt.

Objic. 1. In Pentateucho dicitur in tertia persona; Scripsit Moses. Stylus non est uniformis. Narratur sepultura Mosis. Ergo alius est Auctor-

R. Neg. Cons. Nam, et alii scribunt in tertia persona. Stylum Veteres non curabant. Josue ob integritatem historiae addidit Pentateucho mortem, et sepulturam Mosis.

Objic. 2. Prioribus Ecclesiae saeculis plura prodierunt ficta Evangelia sub nomine Apostolorum. Ergo, quae in Canone sunt, suposita esse valent. R. Neg. Cons. Nam mox Evangelia illa rejecit Ecclesia: nec nostra dici valent ab haereticis ficta; quia sat ipsis adversantur.

A R T. 2.

Scripturae veracitas, ac Divinitas.

Q. 1. *Quid sit veracitas? An Scripturae libri sint veraces?*

R. *Veracitas* est doctrina rationi conformis. Veraces sunt Scripturae libri. Nam eorum doctrina, ut eam lustranti patet, rationi congruit; eamque miraculis probavit Deus, qui falsitatem non probat. Ergo veraces sunt libri Scripturae.

Objic. 1. Scriptura vocat Adam omnium patrem. Atqui hoc falsum; cum alii sint albi, alii nigri. Ergo non est verax. R. Neg. Min. Nam color varius a diverso climate oritur quoque, uti experientia comprobatur.

Objic. 2. Scriptura narrat diluvium operiens cacumina montium. Atqui falsa videtur aquae tanta copia. Ergo verax Scriptura non est. R. Neg. Min. Nam aqua nedum e coelo cecidit, sed et e terra emersit, ex illo Gen. 7. *Ruptique sunt fontes abyssi magnae.*

Objic. 3. Scriptura memorat arcam, in qua fuerunt species omnes animalium, eorumque victus.

Atqui hoc videtur incredibile. Ergo verax non est. R. Neg. Min. Nam Pelletier *dissert. de arca* geometrice ostendit fieri potuisse, ut arca caperet animalia, eorumque victum in annum.

Q. 2. *Quid sit divinitas Scripturae?*

R. Est Dei actio in sacro scriptore. Triplex est Dei actio; *Revelatio*, idest manifestatio ignotae veritatis: *Inspiratio*, idest impulsus ad scribendum: *Directio*, idest specialis assistentia, ne Scriptor erret. At num quoad sensum, an autem quoad verba inspirata fuerit Scriptura? Vide infra *Q.* 4.

Q. 3. *An Scriptura fuerit divinitus inspirata?*

R. Ita est de fide. Prob. I. Scriptura verax est, ut *Sup. Q.* I Atqui II. Thim. 3. dicitur; *Omnis Scriptura divinitus inspirata*. Ergo ita est de fide. II. Scriptura semper, et ab omnibus credita est divina. Atqui sic credi non potuit sine credibilitatis evidentia. Ergo de fide divina est.

Objc. I. Scriptura contradictiones continet. Atqui hae non sunt a Deo. Ergo non est divinitus inspirata. Prob. Maj. Nam. I. Psal. 2. dicit; *Servite Domino in timore*. Et Psal. 99. *Servite Domino in laetitia*. II. Dicit. I. Reg. 2. *David regnavit annis duobus*. Et Act. 14. *Regnavit* 40. *annis* III. Dicit Prov. 26. *Ne respondeas stulto*. Et ibidem; *Responde stulto*. Ergo etc.

R. Ad I. Ibi timor et laetitia non opponuntur; quia non sunt de eodem objecto: sed timor est de peccato, ejusque poena; et laetitia de praemio. Ad II. Saul regnavit solus 2 annis, et 40 cum Samuele. Ad III. ex contexstu patet aliquando esse, aliquando nou esse stulto respondendum.

Q. 4. *Quoad sensum ne, an quood verba inspirata fuerit Scriptura?*

R. Quoad sensum potius I. quia passim diversus est stylus. Hic autem non ab uno Deo, sed a diversa est capacitate Auctorum. II. machab. 2. auctor veniam petit errorum. Hi vero a Deo non sunt. III. Idipsum affirmat Hjeronymus *epist. ad Algasiam*, qui aliis est praeferendus.

Objic. In Scriptura saepe dicitur; *Haec dicit Dominus*: ergo quoad verba est inspirata. Deinde Scriptura est Verbum Dei scriptum: ergo a Deo sunt verba = R. Neg. Cons. Nam ut loqui dicatur Deus, et sit scriptura Verbum Dei, sat est ut inspirata sit quoad sensum. Nam latina versio est etiam Verbum Dei, licet retineat solum sensum primi Auctoris.

ART. 3.

Scripturae integritas, ac sensus.

Q. 1. *Quid, et quotuplex sit scripturae integritas?*

R. Integritas est doctrinae puritas in quantitate, et qualitate. Duplex est: *substantialis* circa fidem, ac mores: *accidentalis* citra fidem, ac mores. De substantiali sermo est: nam accidentalis si desit, non obest fidei, ac moribus.

Q. 2. *An Scriptura sit substantialiter integra?*

R. Nulli dubium. Prob. 1. Quoad Vetus Testamentum. Nam istud non fuit vitiatum ante Christum; secus ipse non dixisset Judaeis, *Scrutamini Scripturas*: neque post Christum; quia concordat cum Novo substantialiter integro, ut sequitur. Prob. II. Quoad Novum foedus. Nam hoc non vitiatum est a Judaeis; quia eis, adversatur: nec ab haereticis, vel catholicis; quia id sibi mutuo objicerent, quod falsum est.

Objic. Gen. 8. In Hebraeo est; *Corvus egrediebatur*, *et revertebatur*: in latino vero; *Corvus egrediebatur*, *et non revertebatur*. Ergo alteruter textus est corruptus - R. Dist. Cons. Est corruptus accidendaliter, idest in rebus citra fidem, ac mores; Conc. substantialiter, seu in rebus circa fidem, ac mores; Neg. Levia enim, ut illud de corvo, et similia Religioni non obsunt.

Q. 3. *Quid, et quotuplex sit Scripturae sensus?*

R. Sensus est verborum significatio. Duplex est; *literalis*, quem indicant verba, ut *Jerusalem* indicans civitatem terrestrem: et *spiritualis*, quem indicant res verborum, ut civitas terrestris indicans caelestem: hinc *Coelestis Urbs Jerusalem*.

Q. 4. *Quotuplex sit literalis Scripturae sensus?*

R. Duplex est: *proprius*, quem innuut verba materialiter accepta, ut brachium innuens membrum corporis: *metaphoricus*, quem innuunt verba analogice sumpta, ut brachium innuens potentiam, oculi sapientiam, per analogiam.

Q. 5. *Quotuplex sit spiritualis Scripturae sensus?*

R. Triplex est: *allogoricus*, si verba referat ad Ecclesiam; *tropologicus*, si ad mores; *anagogicus*, si ad Coelum. Hi sensus *metaphorico* sunt affines; quibus addito sensu proprio literali, quatuor sunt Scripturae sensus, sequentibus indicati versibus.

Litera gesta docet; quid credas allegoria;
Moralis quid agas; quo tendas anagogia.

Q. 6. *An praefati quatuor sensus uno verbo explicentur?*

R. Affirmative. Nam idem verbum Jerusalem, *literaliter* indicat civitatem Judaeorum; *allegorige* Christi Ecclesiam; *tropologice* animam; *anagogice* coelum.

Q. 7. *An alius sit Scripturae sensus? Et quis praevaleat?*

R. Est alius, qui *accomodatitius* vocatur, quia ad aliquid aptatur; ut quod de Noe dicitur *Inventus est justus* alicui Sancto applicetur. Sensus literalis *proprius* praevalet nisi vel alius clarior Scripturae locus, vel evidens ratio, vel Ecclesiae judicium obstet. Sensus accomodatitius non est alicujus ponderis.

Q. 8. *An Scripturae sensus sit semper clarus?*

R. Sic docent haeretici; sed falluntur. Nam Apostolus Petrus de Pauli epistolis ait: *In quibus quaedam sunt intellectu difficilia.* Quod si Scriptura ipsa, et Patres dicunt esse claram, loquuntur de lege, historia, et multis locis, non vero de omnibus.

ART. 4.

Editiones, Versiones, interpretandi regulae.

Q. 1. *Quid, et quotuplex sit editio Scripturae?*

R. Editio est genus linguae, in qua primitus Scriptura scripta fuit. Duplex est. *Hebraica*, in qua Vetus; et *Graeca*, in qua Nova scripta fuit. In Veteri excipiuntur pauci libri, qui chaldaice; et in Nova Matthaei Evangelium, quod syriace.

Q. 2. *Quid, et quotuplex sit Scripturae versio?*

R. Versio est translatio unius linguae in aliam. Duplex praesertim est. *Graeca* ex textu hebraeo: *latina* ex hebraeo, et graeco. Ex hebraeo prodierunt etiam chaldaica, et syriaca.

Q. 3. *Quid de versione graeca ex hebraea dicendum?*

R. Multiplex prodiit, ut Aquilae, Theodotionis, Origenis, etc. Sed omnium antiquissima, et

ante Christum est versio 70 facta a 72. Interpretibus, et ex usu dicitur 70. Haec sola e graecis est authentica, qua usi sunt Apostoli, et utitur Ecclesia Graeca.

Q. 4. *Quid de versione latina ex hebraeo, et graeco dicendum?*

R. Duplex prodiit: *Itala* ex aliquo fortasse Christi Discipulo: et *Vulgata* a D. Hjeronymo, qui Vetus Foedus ex hebraeo vertit in latinum; Novum vero juxta Italam emendavit. At Psalderium, et Ecclesiastes in Vulgata, sunt ex Itala emendata; nam qui ex Hjeronymo sunt, Romae tantum leguntur.

Q. 5. *Quae sint regulae interpretandi Scripturam?*

R. Potiores sunt. I. Sensus literalis proprius praevalet, ut *sup. art. III. Q.* 7. II. Absurda, vel metaphorice accipienda, ut Dei *manus* pro *potentia*; vel e persona impiorum referuntur, ut illud *Post hoc erimus tnmquom non fuerimus.* III. Opus non est recurrere ad fontes hebraicum, et graecum; quia in multis vitiati; et authentica est Vulgata. IV. Pro Vulgata praesumendum, donec contrarium probetur. V. Futura ut praeterita exhibentur, ob illorum certitudinem. Ita graviores Theologi.

CAP. II.

DE TRADITIONIBUS.

Q. 1. *Quid sit Traditio?*

R. *Late sumpta*, est doctrina tum voce, tum scripto comunicata, ex illo ad Thess. *Tenete traditiones, quas didicistis sive per sermonem, sive per epistolam nostram.* At stricte *sumpta*; est do-

ctrina sola voce *primitus* communicata. Dicitur *primitus*; quia postea in Actis Conciliorum, et Patrum Operibus scripta sunt.

Q. 2. *Quotuplex sit Traditio?*

R. Triplex est: *Divina* si sit a Deo, et Christo. *Apostolica*, si ab Apostolis: *Ecclesiastica*, si ab Ecclesia docente. At si Apostoli spectentur ut Christi praecones; eorum traditio *Divina* est, vel *Apostolico-Divina*: si vero ut Ecclesiae Pastores, Apostolica est.

Q. 3. *Quae sint singularum Traditionum exempla?*

R. Exempla Traditionis *Divinae* sunt; materia, et forma Sacramentorum, ac numerus: Scripturae Divinitas: valor baptismi parvulorum etc. Exempla Traditionis *Apostolicae* sunt; mixtio aquae in calice: Quadragesima: festa Paschatis, Pentecostes, etc. Exempla Traditionis *Ecclesiasticae* sunt alia festa, et jejunia.

Q. 4. *Quomodo singulae Traditiones discernuntur?*

R. Discernuntur tempore. Nam quae coepit ante Christi ascensum, est *Divina*. Quae post Christi ascensum, est *Apostolica*. Quae post mortem Apostolorum, *Ecclesiastica* est. Item *Divina* est, si Patres omnes id testentur.

Q. 5. *An extiterint Divinae Traditiones ante Christum?*

R. Utique. Nam in lege *naturae*, credebant Messiam venturum, et remedium originalis. In lege *Scripta*, praeter dicta, etiam Scripturae Divinitatem credebant. Haec autem fides, nonnisi Dei verbo Tradito niti potuit.

Q. 6. *An post Christum semper extiterint Divinae Traditiones?*

R. Maxime; contra Arianos, et Novatores. Nam ipsi haeretici cum catholicis credunt perpetuam Mariae Virginitatem; Scripturae Divinitatem; numerum Evangeliorum; etc. Atqui haec non sunt expresse in Scripturis. Ergo Traditione Divina creduntur.

Objic. 1. Deuter. 4. *Non addetis ad verbum, quod loquor*, — Apoc. 22. *Si quis apposuerit ad haec, apponet Deus super illum plages*. Ergo superfluae sunt Traditiones = R. Neg. Cons. Nam Divinae Traditiones non sunt additio verbo Dei, sed ipsum Dei verbum.

Objic. 2. Matt. 4. Cristus ajt; *Irritum fecistis mandatum Dei, propter Traditionem vestram*. Ergo Christus damnat Traditiones = R. Dist. Cons. Damnat Traditiones pharisaicas Dei legi contrarias, ut innuunt verba *Traditionem vestram*, Conc. Divinas; Neg.

CAP. III.

DE CHRISTI ECCLESIA.

Ecclesia idem est ac Coetus: hinc Christi Ecclesia est Coetus Christifidelium. Triplex est; *Triunphans* in coelis; *Patiens* in Purgatorio; *Militans* in terris. Omnes unam conficiunt; quia unum est earum Caput Christus, sic ab aeterno praedestinatus; ex illo Ephes. 1. *Ipsum dedit* (Pater) *Caput super omnem Ecclesiam*. At *Militans* duplex est: *Vetus* quae credebat in Christum venturum; et *Nova*, quae credit in Christum natum; et haec est: Coetus baptizatorum sub eadem fide, ac eodem Capite visibili.

ART. I.

De Christi Ecclesiae Notis.

Q. 1. *Quid sint, et quae Christi Ecclesiae notae?*

R. Notae sunt signa dignoscendi veram Christi Ecclesiam. Hinc requiritur. I. Ut non sint communes aliis Sectis: secus non indicant unam Christi Ecclesiam. II. Ut non sint separabiles a Christi Ecclesia: secus non semper illam indicabunt. Quatuor sunt notae *Unitas*, *Sanctitas*, *Catholicitas*, *Apostolicitas*: nam hae quatuor exhibentur in Scripturis, et in Symbolo.

Q. 2. *Quo sensu praefatae notae accipiendae sint?*

R. In sensu morali: nam Ecclesia est corpus morale. Hinc *Unitas* consistit in unitate Religionis: *Sanctitas* in sanctitate mediorum ad salutem: *Catholicitas* in diffusione successiva per Universum: *Apostolicitas* in successione Pastorum ab Apostolis.

Q. 3. *An revera praefatae notae in Scripturis exhibeantur?*

R. Ita est. Nam exhibetur I. *Unitas*, ubi Ecclesia vocatur *unum corpus*, *et unum ovile*. II. *Sanctitas*, ubi *gens Sancta* dicitur, et a Christo sanctificata. III. *Catholicitas*, ubi praedicata fertur ubique. IV. *Apostolicitas*, ubi nonnisi ab Apostolis propagata dicitur, etiam Ordinatione aliorum Pastorum.

Q. 4. *Quae igitur sit vera Christi Ecclesia?*

R. Est Ecclesia Romana. Nam illa est vera Christi Ecclesia, in qua relucent notae in Scri-

pturis exhibitae. Atqui ejusmodi notae in Ecclesia Romana relucent, uti recogitanti patet. Ergo Ecclesia Romana est vera Christi Ecclesia.

Q. 5. *An de fide sit, Ecclesiam Romauam esse veram Christi Ecclesiam.*

R. Ita est. Nam. I. Est de fide, quod claris notis in scripturis exhibetur. Atqui Ecclesia Romana claris notis, ut vera Christi Ecclesia, in Scripturis exhibetur, ut *sup. Q.* 3. Ergo id fidei res est. II. Est de fide, quod aliqua in mundo Ecclesia sit Christi Ecclesia: nam id fatentur vel ipsi haeretici. Atqui Ecclesia Romana est Christi Ecclesia, ut *sup. Q.* 4. Ergo id est de fide.

Corollarium. Ecclesia igitur Christi non est aliqua in Universo incerta, vaga, et incognita Ecclesia, uti jactaut Novatores. Sed certa esse debet, determinatu, et cognita: nam si credere debemus, quod docet Christi Ecclesia, uti docent ipsi Novatores; quomodo id credere possumus, hanc Ecclesiam nescientes?

A R T. 2.

De Christi Ecclesiae Proprietatibus.

Q. 1. *Quid sint, et quot Ecclesiae Christi proprietates?*

R. Sunt quaedam dotes solius Ecclesiae Christi propriae. Tres praesertim sunt: *Visibilitas*, idest aliquod corpus morale Capiti juctum: *perpetuitas*, idest duratio usque in mundi finem: *Infallibilitas*, idest inerrantia in credendo, et docendo.

Q. 2. *An Christi Ecclesia semper sit visibilis?*

R. Maxime. Nam Matt. 17. *Si te non audierit, dic Ecclesiae* — Act. 18. *Attendite vobis, et*

universo gregi. Atqui haec fieri non possunt, si Ecclesia non foret visibilis. Ergo visibilis est. Hinc pessime falluntur Novatores, qui jactant Ecclesiam prioribus tantum quinque saeculis fuisse visibilem.

Objic. 1. Ecclesia I. Petri 2. Vocatur *domus spiritualis*, *et gens sancta.* Atqui haec non videntur. Ergo Ecclesia non est visibilis = R. dist. major. Sic vocatur ob partem internam cultus, et sanctitatis, Conc. Ob corpus morale Capiti junctum in externo cultu, Neg.

Objic. 2. Ecclesia creditur in Symbolo. Atqui, quod creditur non est visibile. Ergo Ecclesia non e st visibilis = R. Dist. Majo. Ecclesia creditur quoad partem invisibilem, Conce. Quoad visibilem Neg. Porro pars *visibilis* est corpus morale Capiti junctum: *invisibilis* est, quod hoc corpus sit Ecclesia.

Q. 3. *An Christi Ecclesia sit perpetua?*

R. Est. Nam Matt. ult. Christus ait Apostolis: *Vobiscum sum usque ad consumationem saeculi.* Ergo tamdiu perdurabit Ecclesia, quamdiu saeculum. Sane; id promiserat Deus Isa. 61. *Foedus perpetuum feriam eis.* Ergo fecit.

Objic. Novatores. Ecclesia *Romana*, ob sui crimina periit, eique successit *Reformata*; ex illo Apoc. 18. *Exite de illa populus meus.* Ergo perpetua non fuit. = R. Neg. Cons. Nam oraculum illud est de Roma ethnica, de qua exire, idest a cujus superstitionibus abstinere jubentur fideles.

Q. 4. *An Ecclesia Christi sit infallibilis?*

R. Est, nedum *passive* in credendo, quia. 1. Th. 2. vocatur *Columna veritatis*: sed etiam *active* in docendo; quia Ephs. 4. *Deus dedit Pastores, et Doctores, ut non circumferamur omni vento doctrinae.* Ergo semper infallibilis est.

Objic. Vetus Ecclesia erravit tum in *credendo*, cum vitulum adoravit; tum in *docendo*, cum Christum judicavit reum mortis; Ergo etiam Nova sic errare valet. = Neg. Cons. Nam cum adoravit vitulum, major pars cum Capite Mose fidelis mansit: et cum Christum damnavit, jam coeperat Nova Ecclesia.

ART. 3.

De Christi Ecclesiae membris.

Q. 1. *Quid sit membrum; et qui sint Ecclesiae membra?*

R. *Membrum* est pars corporis viventis capiti juncta: Nam sejuncta desinit esse membrum. Hinc sicut in corpore physico, sic et in morali Ecclesiae corpore, membra sunt qui uniuntur Capiti Romano Pontifici.

Q. 2. *Quotupliciter quis esse valeat Ecclesiae membrum?*

R. Tripliciter. I. Quoad *Animam*, si cupiat ingredi, ut catechumeni. II. Quoad *corpus*, si exsterius tantum fidem exhibent, ut excomunicati. III. Quoad *animam*, et *corpus*, si fidem interius etiam habeant. Item vel *in re*, si actu sint; vel *in voto* si esse cupiant.

Corollarium. Ergo manifesti haeretici schismatici, excomunicati non sunt Ecclesiae membra, donec resipiscant; quia separati sunt a Capite Romano Pontifice.

Q. 3. *An soli praedestinati, e sancti sint Ecclesiae membra?*

R. Sic ajunt haeretici; sed falluntur. Nam Ecclesia in Scripturis comparatur 1. *Areae*, in qua sunt triticum, et paleae. 2. *Convivio*, in quo

sunt boni, et mali. *Atqui triticum*, *et paleae* sunt praedestinati, ac reprobi: *boni*, ac *mali* sunt justi, et peccatores. Ergo in Ecclesia sunt praedestinati, ac reprobi; justi et peccatores.

Objic. Ecclesia in Scripturis vocatur *Ovile*, in quo sunt oves, seu praedestinati; et *Gens Sancta*. Ergo nonnisi praedestinati, et sancti sunt Ecclesiae membra = R. Neg. Cons. Nam non omnes oves indicant praedestinatos; quia sunt etiam oves errantes, quae pereunt; et vocatur *gens sancta*, ob media acquirendae sanctitatis.

Q. 4. *An exstra Ecclesiam sit alicui salus?*

R. Si sit quoad *corpus tantum* extra Ecclesiam, ut qui baptizari cupiunt, contriti salvi fiunt. Si sit extra *quoad animam tantum*, ut occulti haeretici, etc. et peccatores; si resipiscant, salvantur. Si sit extra quoad *corpus et animam*, salvari nequit; quia membrum extra corpus non vivit.

Corollarium. Ergo falluntur, qui ajunt quemque in sua Secta salvari posse; quia Deus delectatur variis Sectis, sicut nos cibis diversis. Nam Sectae dissentiunt inter se, et a Romana Ecclesia: et Deus non dissentionis, sed pacis Deus est, ex *Scripturis*.

ART. 4.

De Christi Ecclesiae regimine.

Q. 1. *Quid, et quotuplex sit regimen?*

R. *Regimen* est cura de Societate. Quatruplex est: *Monarchicum* si sit in uno: *Aristocraticum*, si in pluribus: *Democraticum*, si in omnibus: *Mixtum*, idest vel *Aristo-Monarchicum*, si sit in uno dependente a pluribus; vel *Aristo-Democra-*

*

ticum, si in pluribus a Communi dependentibus.

Q. 2. *Quale sit Ecclesiae regimen?*

R. Est Monarchicum; Gallis mussitantibus. Nam Ecclesia est corpus morale. Ergo sicuti corpus physicum ab uno capite; sic et morale pendet.

Q. 3. *Quis sit in Ecclesia quaestionum fidei Judex?*

R. Est Papa; tum in Concilio, Matt. ult. *Docete . . . et vobiscum sum*: tum solus ex cathedra docens; quia tribus prioribus saeculis, et tribus postremis a Tridentino solus fidei causas definivit.

Objic. Christus Jo. 3. Ait: *Ego testimonium ab homine non accipio.* Ergo non est Papa quaestionum fidei Judex. = R. Dist. Ant. Ab homine *privato*, Coc. Ab homine Christi Vicario, neg.

Coroll. I. Non est ergo Judex causarum fidei, nec Scriptura: secus Novatores non litigarent cum Catholicis; cum habeant eamdem Scripturam. Nec Spiritus privatus: secus quisque diceret; sic me docet Spiritus Sanctus, et essent tot sententiae, quot capita.

Coroll. II. Nec est Judex Princeps saecularis, ut ajunt haeretici anglicani. Nam *Deus dedit*, non Principem saecularem, sed *Pastores, et Doctores, ut non circumferamur amni vento doctrinae*; Eph. 4.

CAP. IV.

DE CONCILIIS.

Concilium est coetus Pastorum Ecclesiae pro causis fidei, ac morum. Quadruplex est. *Generale*, seu *Oecumenicum* idest coetus Pastorum totius Ecclesiae. *Nationale*, idest coetus Pastorum unius

Nationis e. g. Italiae. *Provinciale*, idest coetus Pastorum unius Archiepiscopatus. *Dioecesanum*, idest coetus Parochorum unius Dioecesis. De Generali tantum hic sermo erit.

ART. I.

De celebratione Concilii Generalis.

Q. 1. *Quot requirantur ad Concilium Generale?*

R. Juxta omnes, quator I. Convocatio Generalis. II. Libertas suffragiorum. III. Ut aliqui saltem ex omni parte conveniant. = Galli addunt. 1. Ut admittatur quisquis audiri velit. 2. Ut invocetur Sptritus Santus, et fiat conquisitio veritatis. Itali vero, exclusis illis, addunt. 1. Ut convocatio fiat a Papa. 2. Ut a Papa confirmetur.

Q. 2. *An conditiones a Gallis, aut ab Italis additae necessariae sint?*

R. Minime, quae a Gallis. Nam illud *vobiscum sum.* 1. Promittitur Pastoribus, non cuicumque audiri velit. 2. Promittitur absolute, non si magna fiat conquistio, etc. Maxime vero, quae ab Italis: nam Concilium non convocatum, nec confirmatum a Papa est acephalum, seu sine Capite, ac monstrum, cui non promittitur Dei assistentia.

Q. 2. *An Concilium a Papa convocari debeat, ut sit Oecumenicum?*

R. Ita est. Nam Papa jure divino est Pastor ovium, etiam Episcoporum: secus Episcopi vel non essent oves, vel forent oves sine Pastore. Atqui Pastoris est oves congregare. Ergo etc.

Objic. Priora 8. Concilia fuerunt ab Imperatoribus convocata, eisque praesederunt. Ergo ut

Concilium sit Oecumenicum, non est opus ut a Papa convocetur = R. Neg. Cons. Nam convocatio, ac praesidentia Imperatorum *honoraria* fuit non *auctoritativa*, idest Papa illam permisit, ut auxilia reciperet.

Q. 4. *An Concilium a Papa confirmari debeat, ut sit Oecumenicum?*

R. Ita est. Nam Concilium Oecumenicum, est Coetus Episcoporum Capiti iunctus. Atqui Concilium a Papa non confirmatum est Coetus a Capite sejunctus. Ergo ut sit Oecumenicum debet a Papa confirmari.

Objic. Oecumenicum est Concilium, si totam Ecclesiam docentem representat. Atqui Concilium etiam a Papa non confirmatum Ecclesiam repraesentat. Ergo ut sit Oecumenicum non eget Papae confirmatione. = R. Dist. Mi. Ecclesiam repraesentat, si a Papa confirmetur, Conce. Secus, Neg., quia sic non est corpus morale integrum, sed truncus deformis sine Capite.

Q. 5. *Qui sint ad Concilium ut Judice convocandi?*

R. Soli Episcopi. Nam hi sunt successores Apostolorum, quibus ait Christus Matt. ult. *Docete, et vobiscum sum.* Convocantur etiam Abbates, Generales Ordinum, Theologi; sed ut consultores, non ut Judices cum suffragio definitivo.

Objic. De Concilio Apostolico dicitur Act. 15. *Convenerunt Apostoli, et Seniores videre de verbo hoc*, idest judicare. Ergo sicuti tunc, praeter Apostolos, alii convenerunt ut Judices; sic et nunc alii praeter Episcopos. = R. Neg. Cons. Nam verbum *videre* non est iudicare, sed examinare: adeoque illi *Seniores* fuerunt consultores.

Q. 6. *An Concilia Generalia necessaria sint?*

R. Non *absolute*: nam tribus prioribus, et tribus potremis a Tridentino saeculis, Papa solus fidei causas iudicavit, definivit, ac haereses damnavit: sed sunt necessaria *secundum quid*, idest valde utilia; quia Conciliis solemniora fiunt decreta, et facilius patefiunt.

ART. 2.

De auctoritate Concilii Generalis.

Q. 1. *A quo sit Episcoporum jurisdictio intra, et extra Concilia?*

R. Est mediate e Deo per Papam, et immediate a Papa. Nam. 1. Ecclesiae unitas exigit, ut unum sit supremum Caput; et unum centrum auctoritatis, a quo in alios derivat. Atqui Papa est tale Caput, et centrum. Ergo a Papa immediate derivat in Episcopos jurisdictio. II. Si foret immediate a Deo, non posset a Papa suspendi, limitari, etc. Atqui suspenditur etc. Ergo est a Papa.

Objic. Galli. Act. 20. *Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Ergo a Deo est immediate jurisdictio Episcoporum. = R. Neg. Cons. Nam vox *posuit* respicit. 1. Potestatem *Ordinis* Episcoporum, quae a Deo est; non *jurisdictionis*. 2. Respicit positionem mediate per Papam, non immediate a Deo.

Q. 2. *Quo exemplo firmetur praefata distinctio potestatis?*

R. Hoc exemplo. Sicut Sacerdos in Ordinatione, recipit quidem potestatem *Ordinis*, seu absolvendi; at non absolvit, nisi *jurisdictionem* ab Ordinario recipiat. Sic Episcopus in consecratio-

ne recipit potestatem *Ordinis*, seu regendi Ecclesiam: At non regit, nisi a Papa *jurisdictione* accepta.

Objic. Galli. Apostoli acceperunt immediate a Christo potestatem tum *Ordinis*, tum *jurisdictionis*. Ergo sic accipiunt Episcopi, qui sunt Apostolorum successores. = R. Neg. Cons. Nam jurisdictio, quam a Christo acceperunt Apostoli, extraordinaria fuit in mundum univesum, cui non succedunt Episcopi.

Urgent. Si jurisdictio foret a Papa; hic posset, vel nulli eam conferre, vel omnibus auferre. Id autem falsum est; quia maneret Ecclesia sine Pastoribus. Ergo non est a Papa. = R. Neg. Ma. Nam, cum Ordo Episcoporum sit juris Divini, nequit efficere Papa, ut nulli sint Episcopi jurisdictione praediti.

Q. 3. *An Generale Concilium sine Papa sit infallibile?*

R. Minime. Nam infallibilitas promittitur integro Ecclesiae docentis Corpori; Matt. ult. *Docete, ac vobiscum sum*. Concilium vero sine Papa non est corpus integrum, sed truncus deformis sine capite. Hinc Concilium Ariminense ex 600. Episcopis negavit Divinitatem Verbi, et reprobatum a Papa fuit.

Objic. Concilium sine Papa, vel est fallibile, et nequit Papa tribuere infallibilitatem; vel est infallibile, et non eget Papa confirmante. = R. Papa nec tribuit infallibilitatem, nec superfluit Concilio: Sed cum Concilium non sit infallibile, sed falli possit, Papae est ex speciali Dei assistentia declarare, an erraverit, necne.

Q. 4. *An Concilium Generale cum Papa sit infallibile?*

R. Sic est de Fide. Nam. Est de Fide, quod integra Ecclesia docens sit infallibilis; Matt. ult. *Docete, et vobiscum sum.* Et Ephes. 4. *Dedit Pastores, ut non circumferamur omni vento doctrinae.* Atqui Concilium cum Papa est integra Ecclesia docens. Ergo de fide est infallibile.

Objc. Haeretici. Non fide, sed experientia constat Concilium esse Generale. Ergo sic etiam constat esse infallibile. = R. Neg. Cons. Nam licet experientia constet generalitas Concilii; ejus tamen infallibilitas nititur revelata Dei promissione *Docete; vobiscum sum.*

Q. 5. *An Auctoritas Concilii cum Papa aequiparetur auctoritati S. Scripturae, ac Traditionis Divine?*

R. Sic res se habet. Nam Scriptura est a Deo inspirante; Traditio a Deo revelante; Concilium a Deo dirigente. Ejusdem autem auctoritatis est, tum inspiratio, tum revelatio, tum directio Divina; cum quaevis sit actio Dei. Hinc triplex est Verbum Dei; *Scriptum, Traditum, Definitum.*

Q. 6. *An Auctoritas Concilii praestet auctoritati Papae solius?*

R. Vel Concilium sumitur cum Papa; et nulla est comparatio: sed una, et eadem auctoritas est infallibilis; ut *sup. Q.* 4. Vel sumitur sine Papa; et praestat illi Papae solius auctoritas: nam Papa Caput est, et Pastor supremus inferiorum Pastorum, etiam congregatorum; secus eorum nullum foret Caput supremum; sicque Corpus Pastorum esset sine Capite monstrum. *Vid. inf. Cap. V. Art.* 3.

Q. 7. *Quot sint Concilia Generalia celebrata, et a Papa Confirmata.*

R. Juxta Italos sunt 18. Nicaena 2. Constan-

tinopolitana 4. Ephesinum 1. Chalcedonense. Lateranensia 5. Lugdunensia 2. Viennense. Florentinum. Tridentinum. Juxta Gallos sunt 20. Nam excludunt Lateranense V.; et includunt Pisanum, Constantiense, Basileense: at haec tria vocantur a Bellarmino partim approbata, partim reprobata.

CAP. V.

DE ROMANO PONTIFICE.

Romanus Pontifex est illa mystica Petra, super quam aedificavit Christus Ecclesiam suam; seu est Caput totius Ecclesiae, Pastor universalis omnium Christi ovium, et Pastor Pastorum. Haeretici ex odio ipsum vocant *usurpatorem* principatus, et *antichristum*. De illo, ut sequitur agendum.

ART. 1.

De Primatu Romani Pontificis.

Q. 1. *Quid sit Primatus; et quid de illo sentiant haeretici?*

R. Primatus est *supremà Praefectura in totam Ecclesiam*; et haec est Papae dioecaesis. Hunc primatum vel ipsi Petro negant haeretici, nedum Papae. Nam ajunt Petrum fuisse Primum *aetate*, non *auctoritate*, ejusque primatum fuisse *honoris* non *jurisdictionis*; et aequalem fuisse caeteris Apostolis.

Q. 2. *An D. Petrus primatum auctoritatis habuerit?*

R. Id est de fide. Nam Christus 1. Promisit Matt. 16. *Tu es Petrus, et super hanc petram*

aedificabo Ecclesiam meam : *et tibi dabo claves.* *Per fundamentum* autem, et *claves* vulgo primatus auctoritatis intelligitur. II. Contulit Io. 21. Cum ait; *Pasce oves meas*: nam Pastor auctoritatem habet in oves.

Objic. 1. De fide Christus est Ecclesiae fundamentum. Atqui I. Cor. 7. *Fundamentum aliud nemo potest ponere.* Ergo non fuit Petrus fundamentum = R. Dist. Cons. Non fuit fundamentum *primarium*, uti Christus; Conc: non fuit *secundarium*; Neg. Nam Ecclesia visibilis visibili nititur fundamento.

Objic. 2. Aug. De agone Chr. inquit: *quod Petro dicitur, pasce oves meas; omnibus dicitur.* Ergo; ex verbis *Pasce oves*, non eruitur Petri primatus = R. Neg. Cons. Nam Augustini mens, est, quod illud *pasce* Petro dicatur independenter ab aliis; caeteris vero Apostolis, dependenter a Petro.

Q. 3. *An Romanus Pontifex D. Petro succedat in primatu, jure Divino?*

R. Id est de fide. Nam de fide succedere Petro debuit aliud Caput: secus mansisset Ecclesia sine visibili capite. Hoc autem Caput est R. Pontifex: nam si non eligit Christus, eligi vult ab Ecclesia.

Objic. 1. Non est de fide, quod R. Pontifex potius, quam alius Petro succedat inprimatu. Ergo de fide non est Primatus R. Pontificis = R. Dist: Ant. Priusquam eligatur, Conc. nam alius eligi valet. Post electionem, Neg. nam Christus vult, quem eligit Ecclesia.

Objic. 2. Papa est pars, et filius Ecclesiae. Ergo non convenit ei primatus = R. Neg. Cons. Nam est pars, sed principalis seu Caput; et est

filius, sed elevatus ad rationem primatus, et Patris.

Q. 4. *Privilegium Primatus estne locale, an personale?*

R. De fide est personale: nam Petro ait Christus; *Tu es Petrus . . Tibi dabo claves . . Pasce oves meas.* Est etiam personale *publicum*, quod transit ad successores; non *privatum*, quod perit cum persona. At non est de fide, quod sit *locale*, licet Petrus Romae Sedem fixerit: nam Ecclesia quem vult, eligere valet; ita Bellarminus.

ART. 2.

De infallibilitate R. Pontificis.

Q. 1. *Quid sit infallibilitas; et quotupliciter spectari Papa valet?*

R. *Infallibilitas*, in Deo natura infallibili, est *incapacitas errandi*: in Papa, est *privilegium non errandi.* Dupliciter spectatur Papa: I. Ut Doctor *publicus*, cum Ecclesiam docet de rebus Religionis; et sic loqui dicitur *ex Cathedra*. II. Ut Doctor *privatus*, cum loquitur quin jubeat id esse credendum.

Q. 2. *An Papa ex Cathedra loquens sit infallibilis?*

R. Maxime: nam I. Papa est fundamentum, et Pastor Ecclesiae. Rueret autem Ecclesia, et venenarentur oves, si Papa fallibilis foret. II. Papa est Christi Vicarius. Dedecet autem Christum habere fallibilem Vicarium. III. Ecclesia parere tenetur Papae loquenti ex Cathedra. Tota vero Ecclesia erraret, si Papa fallibilis foret.

Objic. 1. Galli. Infallibilitas promittitur toti Ecclesiae docenti, Matt. ult.; *Docete, et vobiscum*

sum. Ergo Papa solus falli potest = R. Neg. Cons. Nam promittitur Ecclesiae Capiti junctae; non sejunctae. Hinc si Papa dissentiat ab aliis, Papae parendum, non Ecclesiae sine Capite.

Objic. 2. Si Papa solus infallibilis esset, frustra fierent Concilia. Id autem falsum est = R. Neg. Ant. Nam licet Concilia non sint absolute necessaria, sunt tamen utilissima; ut supra *Cap. IV. Art.* 1. *Q.* 6.

Objic. 3. Cyprianus restitit Papae Stephano, de non iterando baptismo ab Haereticis collato, quin fuerit haereticus. Id autem innuit Papam esse fallibilem = R. Neg. Cons. Nam Cyprianus restitit antequam Stephanus definiret ex Cathedra; non postquam ait: *Nihil innovetur, nisi quod traditum est.*

Q. 3. *An Papa sit infallibilis in Canonizatione, ac Beatificatione?*

R. *Canonizatio* est jussio; *Beatificatio* vero permissio cultus. Alii negant, affirmant Alii, Papam in eis infallibilem esse. Posterius verum est: secus tota Ecclesia erraret in materia Religionis, adhibendo cultum a Papa jussum, vel permissum. Utitur Papa testibus fallibilibus; sed resolvit ex speciali Dei assistentia.

Q. 4. *An Papa fieri valeat haereticus formalis?*

R. Minime. Nam Christus Petro contulit infallibilitatem *activam*, ex illo; *Confirma fratres tuos*: et *passivam* ex illo; *Rogavi, ut non deficiat fides tua.* Si ergo a Petro ad Papam transit *activa*, ut supra *Q.* 2. *et Seq.* nulla est ratio, cur *passiva* non transeat. Haereticus *formalis* est, qui negat interius fidem: nam qui exterius tantum ex gravi metu, est haereticus *materialis*, sicuti fuerunt nonulli Pontifices.

ART. 3.

De Papae Superioritate Coetui aliorum Pastorum.

Q. 1. *An Papa sit auctoritate superior Coetu aliorum Pastorum; seu supra Generale Concilium?*

R. Ita est; ut etiam supra *Cap. IV. Art.* 2. *Q.* 6. Nam I. Papa tum in Concilio, tum extra Concilium semper est fundamentum, Caput, et Pastor totius Ecclesiae. Ergo semper Superior est, tum in Concilio, tum extra Concilium. II. Si Christus Pastor visibilis foret, semper Superior esset Coetu Pastorum. Ergo etiam Papa, qui vices illius gerit. III. Lateranense. V. Definivit *Papam esse supra Concilium*. Et Alexander VIII. Damnavit thesim; *futilis est quaestio de Papae auctoritate supra Concilium*. Ergo vere Papa est Superior Coetu Pastorum, seu supra Concilium.

Objic. 1. Concilium est Corpus directivum sub Capite Christo; *Docete, et vobiscum sum*. Ergo non pendet a Papa, sed est supra Papam = R. Neg. Ant. Nam Ecclesia visibilis a visibili Capite pendet, nedum a Christo. Caput autem praestat toti corpori.

Objic. 2. Auctoritas est magis in toto, quam in parte. Papa autem est pars Concilii = R. Dist. Maj. Est magis in toto, si sit a toto, Conc. Si secus Neg. Auctoritas autem Concilii est a Christo; sed Papae ut Capiti collata est supra Coeteros.

Objic. 3. Generalis Ordinis auctoritate praestat singulis Praelatis; non autem Capitulo. Ergo Papa praestat singulis Episcopis; non vero Conci-

lio = R. Neg. Cons. et Par. Nam Generalis a Capitulo recipit auctoritatem sic limitatam. Papa vero a Christo recipit illimitatam.

Objic. 4. Papa pluries judicatus est, ac depositus a Concilio. Ergo Concilio inferior est = R. Dist. Ant. Papa *dubius*, Conc. Papa *certus*, neg. Nam in dubio jus habet Ecclesia sibi eligendi Caput certum, deposito dubbio : sic accidit in schisma 40. Annorum.

ART. 4.

De temporali Papae potestate.

Q. 1. *An Papae conveniat temporalis potestas?*

R. Etiam. Nam 1. Haec spirituali non adversatur. 2. In Veteri foedere, Melchisedech fuit Sacerdos et Rex; et Tribus Levi statuebat civiles Magistratus. 3. Hanc non vetuit Christus, licet non contulerit.

Q. 2. *A quo Papae fuerit temporalis potestas?*

R. Praesertim a Constantino Imperatore, qui saeculo 4. Bizantium (Nunc Constantinopolim); et Romae ditionem Papae donavit. Hinc Bern. L. 4. Cons. *Papa succedit Petro in Primatu, et Constantino in Principatu.*

Q. 3. *An Papa potestatem habeat in temporalia Principum?*

R. Alii negant; quia Principum institutio a Deo est. Affirmant alii; quia Papa declarat Jus Divinum, cum illa potestate indirecte utitur, ob Religionis bonum.

CAP. VI.

DE RELIQUIS LOCIS THEOLOGICIS.

Loci quinque, de quibus hactenus, *majores* vocantur. Alii quinque, de quibus nunc raptim, *minores* dicuntur. Itaque.

Q. 1. *Qui sint Ecclesiae Patres*; *et quae illorum auctoritas?*

R. *Patres* sunt, qui ab Ecclesia sic sunt declarati; ac tria requiruntur: *doctrina* eminens, *sanctitas* insignis, *testimonium* Ecclesiae. Eorum auctoritas, in *naturalibus* tantum ponderat, quantum rationes. In *Divinis*, unanimis consensus certam facit fidem.

Q. 2. *Qui sint Theologi*; *et quae illorum auctoritas?*

R. *Theologi* sunt, qui ex principiis revelatis arguunt. Eorum auctoritas, in *naturalibus* aequiparatur ipsorum rationibus; in *Divinis*, unanimis eorum consensus signum est, rem esse de fide.

Q. 3. *Qui sint Philosophi*; *et quae illorum auctoritas?*

R. *Philosophi* sunt qui arguunt ex principiis rationis. Eorum auctoritas valde utilis est ad convincendos, et confutandos incredulos, qui non principiis relevatis, sed Philosophis credunt.

Q. 4. *Qui sint Historici*; *et quae illorum auctoritas?*

R. *Historici* sunt, qui aliorum dicta, et gesta narrant, Conciliorum praesertim. Eorum auctoritas non excedit fidem humanam: nam non arguunt, sed referunt. Hinc legendi sunt juxta critices regulas.

Q. 5. *Quid sit Humana Ratio ; et quae illius auctoritas ?*

R. *Humana Ratio* est lumen homini a Deo inditum, quo verum a falso distinguitur. Ejus auctoritas in Theologia tanti valet, quanti vis argumentationis ex revelatis : Nam nulla Theologia est absque Philosophia. Vis rationis maxime urget in exquirendis motivis credibilitatis, ut *rationabile sit obsequium nostrum* ; ex Apostolo.

TRACTATUS II.

DE DEO UNO.

De Deo quatenus unus est inquiri debent ejus existentia, attributa, intellectus, voluntas, providentia. Ideo

CAP. I.

DE DEI EXISTENTIA.

Ad Dei existentiam essentia quoque revocatur, et unitas.

ART. I.

Dei Existentia vindicatur.

Q. 1. *An sint ; et qui sint, qui Dei existentiam negant ?*

R. Sunt *Athei* qui si corde negant, *theoretici* vocantur ; si ore tantum, *practici.* Athei *practici* semper extiterunt ; qui ut vitiis pareant, dicere

non erubescunt; *Non est Deus*. An extiterint vero *theoretici*, dubium est: nam Aug. Hom. 69. in Matt. Ait. *In paucis invenitur, qui dicit in corde non est Deus.* Gregorius autem L. 25. Mor. *Eo ipso quod quis rationalis est, debet ratione colligere Deum esse.*

Q. 2. *An fide constet, ac ratione Dei existentia?*

R. Utique. I. *Fide.* Nam passim in Scripturis memoratur Deus. Hinc hebr. 11. *Accedentem ad Deum credere oportet, quia est.* Et in Symbolo; *Credo in Deum.* II. *Ratione.* Nam Deum dicimus *Ens a se.* Hoc autem existit: secus mundus foret a seipso; et sic esset simul ut producens seipsum, et non esset ut producendus, quod repugnat. Ergo Deus existit.

Q. 3. *Quomodo Deus sit a se; et an sit infinite perfectus?*

R. Est a se, non ut a sui causa; quia sic non foret a se, nec Deus: sed est a se, ut in se continens sui esse rationem. Est porro infinite perfectus; quia qui est a se, contra se foret, si cuperet in essendo sui limitationem. Hinc Deus ita in se continet mundum, ut uterque non sit quid melius quam solus Deus.

Objic. Mundus esse valet a se, uti dicitur esse Deus. Ergo ab existentia Mundi Dei exsistentia non probatur. = R. Neg. Ant. Nam Mundus est finitus: qui autem est a se, infinitus est: secus contra se foret, si in essendo a se, sui limitationem cuperet.

ART. 2.

Dei Essentia investigatur.

Q. 1. *Quid, et quotuplex sit Dei Essentia?*

R. Essentia est id, per quod Deus est. Duplex est *physica*, et est unio attributorum; *metaphysica*, et est illud attributum, quod concipitur ut primum, et radix aliorum. Hoc Alii dicunt esse *infinitatem*; Alii *aeternitatem*; Alii probabilius *aseitatem*, seu *esse a se*, ex illo Exod. 3. Ubi Mosi ait Deus, *Ego sum qui sum.*

Q. 2. *An aseitas in Deo revera sit primum aliorum attributorum?*

R. Non est ita. Nam inter Dei attributa nulla est prioritas, nec ab uno alia sunt; sed omnia simul unam constituunt essentiam physicam. Hinc est in Deo aseitas, quin re sit essentia *metaphysica*; sed haec concipitur tantum.

Objic. Verbum, et Spiritus Sanctus sunt Deus, quin sint a se: Ergo aseitas concipi nequit ut *metaphisica* Dei essentia. = R. Dist. Ant. Quin sint a se in Personis, Conc. In attributis Neg. Inter attributa porro, non inter Personas inquiritur essentia.

Q. 3. *An Dei Essentia possit adaequate definiri?*

R. Minime. Nam cum sit infinita, ne quidem concipi valet a nobis; nec aliquo vocari nomine, quo adaequate exprimatur. Hinc Prov. 30. *Quod nomen est ejus, si nosti?* Nec nomina, quae Deo tribuuntur in Scripturis, adaequata sunt, quia Deus humano modo loquitur. Tantum dici potest, Deum esse *omne bonum sine aliquo malo.*

ART. 3.

De Unitas propugnatur.

Q. 1. *Qui Dei unitatem, seu unum Deum negent?*

R. Praeter gentiles, Heretici quoque. I. *Cerdoniani*, qui Deum severum Veteris, et Deum benignum Novi foederis agnoscunt. II. *Manichaei*, qui unum bonum bonorum auctorem; alterum malum malorum causam jactitant. III. *Tritheitae*, qui tres Personas Divinas, tres Deos esse dicunt. Omnes Polythei vocantur vel theoretici, vel practici.

Q. 2. *An fide, ac ratione constet unum esse Deum?*

R. Maxime. 1. *Fide.* Nam Deuter. 32. *Videte, quod ego sim solus, et non sit alius Deus praeter me.* Et I. Cor. 8. *Nullus est Deus, nisi unus.* 2. *Ratione.* Nam Deus est infinitus. Repugnant autem plura infinita; quia vel plura sunt in uno, et frustra finguntur plura; vel non sunt in uno, et nullum est infinitum, nullum est Deus.

Objic. 1. Psal. 81. *Deus stetit in synagoga Deorum - Et Ego dixi Dii estis.* Ergo passunt esse Dii plures = R. Neg. Cons. Nam in Scripturis justi vocantur *Dii*, idest Deo similes per gratiam.

Objic. 2. Nationes plures Deos plures coluerunt. Non coluissent autem, nisi eis esse plures constasset = R. Dist. Ma. Plures Deos coluerunt, passione abreptae, Conc. Ratione ductae, Neg.

Objic. 3. Quaevis D. Persona Deus est. Ergo tres Personae tres Dii sunt = R. Neg. Cons. Nam unus, et idem Deus est in quavis Persona; non vero distinctus Deus.

Objic. 4. In mundo sunt mala et bona. Ergo mundus tum a Deo malo, tum a Deo bono regitur = R. Neg. Cons. Nam etiam mala sunt ab uno Deo bono juste volente, vel permittente.

CAP. II.

DE DEI ATTRIBUTIS.

Dei attributa sunt essentiales perfectiones Divinae Naturae, in qua nihil est accidentale, quod inesse ac abesse valeat; quia sic mutaretur Deus. Spectari possunt in genere, ac in specie.

ART. I.

De Divinis attributis in genere.

Q. 1. *Quid, et quotuplex sit Divinum attributum?*

R. Est essentialis Dei perfectio. Duplex est; *absolutum* quod respicit Naturam, ut potentia, sapientia, sanctitas, etc. *relativum*; quod spectat Personas, ut Paternitas, Filiatio, Spiratio, passiva, etc. *Absolutum* est commune tribus Personis; quia communis est Natura. *Relativum* est speciale singulis Personis, ut supra.

Q. 2. *An quodvis attributum sit infinitum; et plura in Deo sint infinita?*

R. Quodvis est infinitum: secus omnia simul non efficerent essentiam infinitam; quia finita per unionem non mutant finitatem. Non sunt autem in Deo plura infinita; quia eadem entitas est in attributis, sicut in Personis.

Q. 3. *An sit aliqua distinctio inter Dei attributa?*

R. Est. Nam Scriptura de illis loquitur in plu-

rali, ut Jo. 6. *Omnia, quae habet Pater, mea sunt*. Inter plura vero semper est aliqua distinctio, saltem numerica; secus forent unum, non plura.

Q. 4. *An inter essentiam quoque, ac attributa sit aliqua distinctio?*

R. Nulla est a parte rei. Nam cum essentia sit unio attributorum; quaestio foret, an essentia distinguatur a se ipsa? vel an unio attributorum distinguatur ab attributis; quod ludicrum est. Hinc vix idealis est distinctio essentiae ab attributis.

Q. 5. *Quae igitur est distinctio inter Dei attributa?*

R. Vel *virtualis*, idest virtus in Deo exhibendi ut distincta, quae per se non distinguntur. Vel *formalis* idest adaequata per se diversitas attributorum: dicitur *formalis*, quia singulorum attributorum exhibet distinctas formalitates, seu *parvas formas*.

Q. 6. *An distinctio formalis prae virtuali recipienda sit?*

R. Sic videtur. Nam effectus diversi a diversis sunt causis. Atqui diversi sunt effectus attributorum; nam potentia creat, justitia punit, misericordia liberat. Ergo diversa etiam attributa.

Objic. Axioma Theologicum est: *In Divinis omnia sunt unum, ubi non obstat relatio*. Ergo in Dei attributis nulla est distinctio = R. Dist. Cons. Nulla est distinctio *realis* quae opponitur unitati naturae, Conc. Nulla est distinctio *formalis*, quae non opponitur, Neg.

ART.

De Divinis Attributis in specie.

Dei potentia, sapientia, bonitas, infinitas, simplicitas, immensitas, veracitas, immutabilitas, aeternitas hic investigantur.

Q. 1. *Quid, et quotuplex sit Dei potentia?*

R. Est vis faciendi quicquid non repugnat; Deo porro repugnant absurda, et peccata. De fide Deus est omnipotens: nam Gen. 17. *Ego Deus omnipotens*; et passim. Duplex est; *ordinaria*, quae respicit tantum a Deo decreta; et *absoluta*, quae caetera possibilia. Hinc ante decretum creandi mundum, possibilis erat alter melior vel vilior; non vero post decretum; quia sic mutaretur Deus.

Q. 2. *Quid sit Dei sapientia; et an a scientia distinguatur?*

R. Est cognitio comprehensiva rerum sublimium. Distinguitur a scientia, quae est cognitio rerum inferiorum. Hinc Rom. 8. *O altitudo divitiarum sapientiae, ac scientiae Dei!* ubi distinguuntur.

Q. 3. *Quid sit Dei bonitas; quidve infinitas?*

R. *Bonitas*, seu *Sanctitas* est consilium volendi, quae decent Dei naturam: hinc Luc. 18. *Nemo bonus, nisi Deus*; idest natura; quia per gratiam multi boni sunt. *Infinitas* est illimitatio Dei essentiae, ex Baruch. 3. *Magnus est, et non habet finem.*

Q. 4. *Quid sit Dei simplicitas; et qui hanc Deo negent?*

R. Est carentia corporeae compositionis. De fide simplex est Deus: secus ubique visibilis foret; et ut infinitus excluderet alia corpora. Hinc pes-

sime falluntur haeretici *antropomorphitae* putantes Deum esse corporeum.

Q. 5. *Quid sit immensitas; et quomodo Deus sit immensus?*

R. Est entitativa diffusio in infinitum: et de fide sic Deus est immensus; III. Reg. 8. *Coeli Coelorum te capere non possunt.* Hinc Nazianzenus; *Deus est in universo, et extra*; in universo est in seipso, et in creaturis; extra universum est in seipso, et in spatio infinito. Est etiam in sordidis, quin sordescat. Dicitur esse in Coelo; quia ibi se manifestat.

Q. 6. *Quid sit immutabilitas Dei; et an Deus sit immutabilis?*

R. Est incapacitas mutationis. De fide sic est immutabilis Deus: nam Malach. 3. *Ego Dominns, et non mutor*: et passim. Si Gen. 1. Ait Deus; *Poenitet me fecisse hominem*; loquitur modo humano; sic exprimens odium peccati, non sui mutationem.

Q. 7. *Quid sit Dei veracitas; et an sic Deus sit verax?*

R. Dei veracitas est iucapacitas mentiendi. Sic Deus verax est: nam Rom. 3. *Est Deus verax, et omnis homo mendax*: et passim. Si Scriptura videtur facere Deum auctorem mendacii, sensus est De Deo *permittente*, ne laedat arbitrium; non vero *volente*.

Q. 8. *Quid sit Dei aeternitas; et an sic Deus sit aeternus?*

R. Est carentia initii, ac finis, quae *propria* aeternitas dicitur: *impropria* vero est carentia finis tantum. De fide solus Deus est *proprie* aeternus; quia improductus; et sic est illud Deater. 4. *Vivo ego in aeternum*; Et passim.

ART. 3.

De Visibilitate Dei.

Q. 1. *Quid, et quotuplex sit Dei visibilitas?*

R. Est capacitas, qua Deus videre, ac videri valeat. Hinc duplex est; *activa*, et *passiva*. De priori *Cap. Seq.* *Passiva* duplex est; *intuitiva*, qua Deus videtur in seipso; *abstructiva*, qua ex creaturis agnoscitur. Hic de *intuitiva*.

Q. 2. *An Deus videri possit oculis corporeis?*

R. Nequaquam. Nam essentia oculi corporei determinata est ad corporea. Hinc nec a Deo id fieri valet; quia Deus nec immutat, nec destruit rerum essentias. Decepti sunt ergo Beguardi, ac Beguinae somniantes, se Deum vidisse sicut seipsos.

Q. 3. *An Deus naturaliter videri valeat oculis mentis?*

R. Minime. Nam I. Thim. 6. *Quem nullus hominum vidit, nec videre potest*: quod est de fide quoad oculos corporis, ac mentis, ut definivit Viennense contra Beguardos. Naturaliter quidem appetit homo summum Bonum; sed supernaturaliter assequendum, ac videndum.

Q. 4. *An Deus supernaturaliter videri possit oculis mentis?*

R. Id est de fide. Nam 1. Cor. 15. *Videmus nunc per speculum; tunc autem facie ad faciem.* Et 1. Jo. 3. *Videbimus eum sicuti est.* Dicitur quidem Deus invisibilis in scripturis; sed naturaliter.

Objic. 1. Absurdum est, ut mens finita objectum videat infinitum. Atqui Deus absurda non efficit. Ergo nec supernaturaliter Deus videri va-

let oculis mentis = Dist. Major. Absurdum est etc. *Naturaliter*, ac modo infinito, Conc. *Supernaturaliter*, ac modo finito, Neg.

Objic. 2. Magis distat mens a Deo, quam oculus a mente. Oculi nullimode mentem videre valent. Ergo multo minus mens Deum = R: Dist. Major. Magis distat. etc. *In natura* Conc. *In aptitudine*, Neg. Nam mens spiritualis aptior est ad Deum videndum, quam oculus corporeus ad mentem.

Objic. 3. Petri. 1. 1. *In quem desiderant Angeli prospicere.* Ergo Angeli nec supernaturaliter Deum in Coelo vident = R. Neg. Cons. Nam verbum *desiderant* innuit, quod non satiantur ita, ut cessent videre.

Q. 5. *An Deus supernaturaliter comprehendi possit?*

R. Non. Nam Job. 2. *Forsitan vestigia Dei comprehendes?* Idipsum definivit Later. IV. Beati ergo vident Deum, *sicuti est*; sed finito modo: nec absoluta Dei potentia fieri valet, ut comprehendant.

Q. 6. *An aliqui viatores ex privilegio Deum viderint intuitive?*

R. Controvertitur. At probabilius est vidisse. Nam. Numer. 22. Deus de Mose ait; *Palam Dominum videt.* Illud autem *palam* idem esse videtur, ac intuitive. Sane; incredibile videtur, ut B. Virgo in hac vita numquam viderit in seipso Deum; quem genuit.

Objic. Exod. 4. Deus absolute ait: *Non videbit me homo, et vivet*, et 1. Thim. 6. *Quem nullus hominum vidit, nec videre potest.* Ergo nullus viator vidit unquam Deum. Et illud *palam* de Mose ut supra, intelligi valet de intimiori ejus cum

Deo familiaritate. = R. Neg. Cons. Nam praefata oracula intelligi possunt de *lege ordinaria*, quae non excludit *privilegium* aliquorum; sicuti illud Rom. 1. *In quo omnes peccaverunt*, non excludit privilegium B. Virginis.

CAP. III.

DE INTELLECTU DEI.

Intellectus Dei est facultas intelligendi omnia intelligibilia unico actu. Igitur ejus objectum est omne intelligibile: et si unico actu intelligit, ergo non discurrit. Ad intellectum Dei pertinet intelligentia, seu *scientia*; et modum intelligendi, seu *medium*.

ART. I.

De scientia Dei.

Q. 1. *An vere sit in Deo scientia; et quotuplex ea sit?*

R. Est in Deo. Nam scientia est cognitio evidens. Atqui est haec cognitio in Deo: nam Hebr. 4. *Omnia nuda, et aperta sunt oculis ejus.* Ergo est vere in Deo scientia. Duplex est; *visionis* si respicit futura; *simplicis intelligentiae* si possibilia tantum: sic Theologi omnes.

Objic. Vera scientia est a demonstratione per discursum. In Deo non est discursus. Ergo nec *vera* scientia; sed *metaphorica*, ut in eo sunt oculi, manus, etc. = R. Dist. Ma. Est a demonstratione in nobis, non in Deo: Nam scientia proprie est cognitio evidens, sive oriatur a discur-

su, sive ab unico actu. Oculi porro etc.; quia corporei, sunt in Deo *metaphorice*: scientia autem, quia incorporea; *vere* in eo est.

Q. 2. *An et quomodo Deus cognoscat seipsum?*

R. Seipsum cognoscit: Nam 1. Cor. 11. *Spiritus Dei omnia scrutatur, etiam profunda Dei.* Cognoscit porro infinito modo, quatenus sicut non habet ultimum gradum, ita hunc non attingit.

Objic. Deus non est obiectum suae potentiae. Ergo nec suae scientiae = R. Neg. Cons. et Par. Nam nequit esse obiectum suae potentiae; quia non est a se tamquam a causa: e contra debet esse obiectum suae scientiae; quia non est scientia sine obiecto.

Q. 3. *An sciat Deus quae fuerunt, sunt, erunt, et possibilia?*

R. Ita res est. Nam si haec omnia cognoscibilia sunt: *Omnia nuda, et aperta sunt oculis ejus*; Hebr. 4. Sane; scientia Dei est infinita: ergo non limitatur ad aliqua tantum.

Q. 4. *An sciat Deus futura, et cordium secreta?*

R. Utique. Nam vel futura sunt necessaria; et ea cognoscit Deus in causis physicis a se statutis pro his, aut illis effectibus. Vel futura sunt libera, etiam cordium secreta; et Deus Psal. 32. *Intelligit omnia opera eorum.* Hinc Aug. L. 1. C. D. *Qui non est praescius, non est Deus.*

Objic. 1. In Scripturis passim dicit Deus; *Si forte sit spes? Quis scit si convertatur?* etc. Ergo nescit futura libera, et cordium secreta = R. Neg. Cons. Nam loquitur ibi Deus more humano, ut ostendat ab homine pendere velle, ac nolle cooperari gratiae.

Objic. 2. Libera non habent determinatam voluntatem, ac veritatem. Scientia autem Dei non

respicit incerta = R. Dist. Ma. Non habent etc. *Quoad nos*, Conc. *Quoad Deum*, Neg.

Objic. 3. Si Deus praesciret futura libera, haec non libere, sed necessario evenirent: Nam Dei praescientia falli nequit. Ergo non praescit = R. Dist. Ant. Necessario evenirent, si praescientia praecederet futura libera, Conc. Si secus Neg. Nam praescientia sequitur futura: secus aspiceret in nihil.

ART. 2.

De Medio Scientiae Dei.

Q. 1. *In quo medio cognoscat omnia Deus?*

R. In sua Essentia. Nam Aug. L. 2. Trin. 14. *Novit omnia Deus in seipso.* Et alibi: *Non aliquid exstra se intuetur.* Verum futura libera *meritoria*, vel novit Deus in suo decreto dandi gratiam *per se* efficacem, juxta aliquos: vel novit in ideis aeternis voluntatis gratiae cooperantis, juxta alios.

Q. 2. *Quid sit scientia media? Cur media dicatur? Qui eam finxerit?*

R. Scientia *media* est cognitio futurorum conditionatorum. *Media* vocatur, quia mediat inter scientiam *visionis*, quae respicit futura absoluta; et scientiam *simplicis intelligentiae*, quae respicit possibilia. Eam invexit Ludovicus Molina Jesuita, qui in Conc. Lib. Arb. et Gr. Ait. *Si ea nota fuisset Augustino, haeresis pelagiana non exstitisset.*

Q. 3. *An sit rejicienda scientia media Moliniana?*

R. Utique. Nam in futuris conditionatis, vel novit Deus ponendam conditionem, et sic futura

sunt absoluta, et spectant scientiam *visionis*: vel novit non ponendam; et sic futura illa sunt possibilia, et pertinent ad scientiam *simplicis intelligentiae*. Sane; sub Dei praescientia nihil est conditionate suspensum; sed vel futurum; vel possibile.

Q. 4. *An aliquid de scientia media definierit Ecclesia?*

R. Licet Romae plures habitae fuerint Congregationes *de auxiliis* nuncupatae, quia de gratiae auxiliis agebatur. Licet in his acerrime disputatum fuerit Dominicanos inter, ac Jesuitas. Tamen Paulus V. Noluit rem definire, ac vetuit ne alii alios laederent.

CAP. IV.

DE DEI VOLUNTATE.

Q. 1. *An sit in Deo voluntas; et quid ea sit?*

R. Est in Deo. Nam passim in Scripturis dicitur: *Voluntati ejus quis resistit?* — *Omnis voluntas mea fiet.* etc. Est autem Dei voluntas; *facultas eligendi bonum, et reprobandi malum.*

Q. 2. *Quotuplex sit Dei voluntas?*

R. Duplex est: *signi*, et *beneplacit*. Prior est exterior actus, quo Deus indicat quid velit: Haec indicatio potius voluntatis est, quam voluntas. Posterior est interior actus, quo Deus vult aliquid. Voluntas *signi*, seu potius signa voluntatis sunt: *Praecipit, aut prohibet, permittit, consulit, implet.*

Q. 3. *An utraque praefata voluntas semper impleatur?*

R. In his, quae a solo Deo pendent, ut *permittit*, et *implet*, semper impletur; Isa. 46. *Omnis*

voluntas mea fiet. In his vero, quae ab homine quoque pendent, ut *praecipit, prohibet, consulit*, non semper impletur; quia saepe homo Deo non paret.

Q. 4. *Quotuplex in Deo sit voluntas beneplaciti?*

R. Duplex: *absoluta*, quae a nulla conditione pendet, ut Rom. 9. *Voluntati ejus quis resistit?* Et *conditionata*, quae ab aliqua pendet conditione, ut Apoc. 3. *Si quis mihi aperuerit, intrabo*; ubi voluntas intrandi pendet a conditione *si aperiat* homo.

Q. 5. *Quid de Dei voluntate antecedente, ac consequente?*

R. Non constant ex Scripturis. A Theologis invectae sunt, ac diversimode declarantur. Plerique *antecedentem* rejiciunt. *Consequens* sic fortasse dicitur; quia consequitur finem. At si finis a Deo solo pendet, ejus voluntas *absoluta* dicenda est. Si finis ab homine quoque pendet, voluntas est *conditionata* ut Q. 4.

Objic. Dedecet Dei voluntatem a voluntate hominis pendere. Ergo nulla est *conditionata* Dei voluntas *si homo velit* = R. Neg. Ant. Nam sicut non dedecet Deum fecisse hominem liberum; ita nec dedecet Dei voluntatem a voluntate hominis pendere. Contradiceret sibi Deus, si absolute vellet; quod ipse fieri voluit a libertate hominis.

Q. 6. *Quid, et quotuplex sit libertas; et quae Dei voluntati conveniat?*

R. Libertas est immunitas a necessitate agendi. Duplex est: *contradictionis*, idest libertas agendi, vel non agendi: *contrarietatis*, idest agendi malum, vel bonum. Sola libertas *contradictionis* Deo convenit, non *contrarietatis*, seu etiam ad malum.

Q. 7. *An Deus sit liber, tum ad intra, tum ad extra?*

R. Non *ad intra*; quia nequit non agnoscere seipsum non generare, non amare, non spirare. Bene vero *ad exstra*; quia Psal. 113. *Quequnque voluit fecit.* Nam libertas est facultas, et perfectio, qua carere nequit infinite perfectus.

Objic. 1. Deus, ut summe perfectus, *ad extra* tenetur ad melius: et ut immutabilis, *ad intra* tenetur ad sua decreta. Ergo si tenetur; nec *ad intra*, nec *ad exstra* est liber = R. Neg. Cons. Nam *ad exstra* non tenetur ad melius; quia id sibi non prodest. *Ad intra*, libertas consistit in ferendis, vel non ferendis decretis, non vero in mutandis.

Objic. 2. Deus est Ens necessarium. Ergo necessitate operatur: quia *operatio sequitur esse* = R. Dist. Ant. Est Ens necessarium in essendo, et operando ad intra, Conc. In operando ad exstra, Neg. Nam Deus est liber per actum connotantem objectum contingens.

Dei Voluntatis Objectum.

Q. 8. *Quid sit objectum Divinae voluntatis?*

R. Est quod vult, et amat Deus. Deus porro amat seipsum amore *necessario*; quia Summum Bonum: et *infinito*, quatenus sicut non datur ultimus gradus suae bonitatis, sic et amoris. Amat quoque creaturas amore *libero*, quia eis non indiget; et *benevolo* quia eas conservat, etc.

Q. 9. *An Deus aequaliter creaturas amet?*

R. Non: sed prout sunt amabiles; adeoque plus rationales, quam irationales. Quinimo de duobus aequaliter justis, plus unum potiora largiendo dona, quam alium; quia Dominus est donorum suorum, et nulli debitor est nisi promittat.

Q. 10. *An in Deo sit odium; et malum velit?*

R. Est odium, quo aversatur ac punit; Sap. 14. *Odio sunt Deo impius, et impietas ejus.* Hinc illud Sap. 11. *Nihil odisti eorum quae fecisti*, respicit naturam a Deo factam, non peccatum. Vult porro Deus mala *poenae*, quia justus; non *culpae*, quia bonus; licet mala culpae juste permittat, ne laedat arbitrium.

Q. 11. *An velit Deus omnium hominum salutem?*

R. Calvinus, et Jansenius docuerunt, Deum velle salutem tantum praedestinatorum. Catholici fide credunt, Deum velle salutem omnium fidelium, etiam reproborum. Ex catholicis plerique pie credunt, Deum velle salutem etiam infidelium reproborum.

Q. 12. *An de fide sit Deum velle salutem reproborum fidelium?*

R. Ita est. Nam I. Reprobi fideles tenentur credere hunc articulum: *Propter nostram salutem descendit de Coelis.* An jubentur credere falsum? II. Tenentur sperare salutem. An frustra sperare jubeat Deus? Est igitur de fide Deum velle illorum salutem.

Objic. Christus Io. 10. ait: *Pono animam meam prò ovibus meis.* Oves autem Christi sunt praedestinati. Hos igitur vult fieri salvos ≐ R. Dist. Ma. Pro ovibus meis *utiliter*, quia soli praedestinati salvantur, Conc. Pro ovibus meis *tantum*, Neg. Nam prò omnibus in Ada mortuis mortuus est Christus; et omnes post lapsum vult salvos fieri, ut infra Q. 13.

Q. 13. *An Deus fieri velit salvos etiam reprobos infideles?*

R. Id pie creditur. Nam I. Indefinite ait Ap. II. Cor. 5. *Omnes mortui sunt* (in Ada), *et pro*

omnibus mortuus est Christus. Frustra autem mortuus esset prò omnibus, si nollet fieri salvos reprobos infideles II. Indefinite ait Ap. I. Thim. 2. *Qui vult omnes salvos fieri.* A literali autem sensu nonnisi evidens ratio removere valet, quae non affulget; secus nulla foret quaestio.

Objic. 1. Infidelibus, qui nihil de Christo audiunt; et pueris sine baptisimo morientibus negat Deus medium salutis. Ergo non vult illos fieri salvos = R. Neg. Cons. Nam scimus, Deum velle illos fieri salvos, ex probatis: cur autem eis non occurrat medium salutis, nescimus. At ex Augustino *Non negandum est apertum, quia non comprheenditur occultum.* Fortasse infideles gratia Evangelii, et pueri gratia baptismi abusuri praevisi sunt.

Objic. 2. Isa. 46. Ait. Deus: *Omnis voluntas mea fiet.* Atqui pueri sine baptisimo, et infideles reprobi non salvantur. Ergo non vult Deus illorum salutem = R. Dist. Ma. Omnis voluntas *absoluta*, Conc. *Conditionata*, uti est voluntas salvendi homines, modò ipsi velint, Neg.

CAP. V.

DE DEI PROVIDENTIA.

Providentia generatim est directio creaturarum in suum finem. Duplex est; *communis*, si finis sit naturalis; *specialis*, si sit supernaturalis. Posterior vocatur *praedestinatio*, cui opponitur *reprobatio*. De omnibus agendum: ideo.

ART. I.

De Communi Providentia.

Q. 1. *Quid sit communis providentia, et qui eam negent?*

R. Est conservatio, et directio creaturarum in suum finem naturalem: dicitur *communis*, quia respicit creaturas omnes. Qui eam negant uno vocabulo *Deistae* vocantur, quibus indignum videtur, ut Deus de mundo cogitet. Eorum nonnulli providentiam extendunt usque ad nubes; et in Job. 22. Dicunt; *Nubes latibulum ejus, nec nostra considerat.*

Q. 2. *An res fidei sit communis Dei provvidentia de omnibus?*

R. Nulli dubium. Nam I. Sap. 12. *Non est alius Deus, cui cura est de omnibus.* II. Matt. 6. *Vestri capilli capitis omnes numerati sunt.* III. Sine providentia Mundus foret independens. Ergo.

Objic. 1. Cor. 1. 9. *Numquid de bobus cura est Deo?* Ergo multo minus de vilioribus ≐ R. Neg. Cons. Nam scopus Apostoli est Dei cura erga suos Ministros, quae tanta est ut cura boviumi nulla videatur; non verò quia boves non curet.

Objic. 2. Hjeronymus in Abacuch. *Absurdum est, ut sciat Deus per singula momenta, quot nascantur culices.* Ergo de vilioribus non est Deo cura = R. Neg. Cons. Nam loquitur Hieronymus de scientia successiva per *singula momenta*: Deus verò unico intuitu omnia novit.

Objic. 3. Reges terrae ob honorem suae Majestatis, non per se provident. Ergo multò minus

Rex Regum Deus = R. Neg. Cons. Nam Rege terrae ob impotentiam, non omnia per seipsós facere valent: Deus verò est Omnipotens.

Q. 3. *An Dei providentiae subsint fortuita, libera, peccata?*

R. Utique. Nam *fortuita* quoad nos, non ita sunt quoad Deum, qui novit occultas eorum causas. *Libera*; quia scit Deus dirigere libertatem, quin illam laedat. *Peccata*; quia juste permittit, et ex eis etiam bona trahit; *Aug. in Enchir.* seu parvo libello.

ART. 2.

De speciali Providentia, sive Predestinatione.

Q. 1. *Quid sit providentia specialis, sive praedestinatio generatim?*

R. Est directio rationalium in suum finem supernaturalem. Haec providentia *praedestinatio* dicitur; quae vi nominis est *praevia destinatio* ad aliquid bonum, vel malum. Hinc Concil. Valent. III. *Fatemur praedestinationem ad vitam, et ad mortem.* At communiter, quae ad vitam est, *praedestinatio* vocatur; quae vero ad mortem, *reprobatio* dicitur.

Q. 2. *Quid, et quotuplex sit praedestinatio, ratione objecti?*

R. Praedestinatio est *propositum* dandi gloriam: vel *Praeparatio* ad gloriam: Vel *Electio* ad gloriam. Duplex est; ad *gratiam* tantum, ut in eo qui recipit gratias, et non gloriam; et ad *gloriam* simul, ut in eo qui salvatur. Prior, ut patet, stat sine alia: at posterior stare nequit sine priori, quia gloria non tribuitur sine gratiae meritis.

Q. 3. *Quotuplex sit praedestinatio ratione modi?*

R. Duplex est. *Gratuita*, seu ante praevisa merita creaturae, quae fit a solo Dei beneplacito: et *Remuneratoria*, seu post praevisa creaturae merita, quae a Deo fit intuitu meritorum hominis. Uno tantum ex hisce duobus modis fit praedestinatio: At quinam sit modus iste, *gratuitus* ne, an *remuneratorius*? controvertitur.

Q. 4. *Quotuplex sit causa praedestinationis?*

R. Triplex est: *Deus*, *Christus*, *Homo*. Deus est causa *efficiens*: Christus meritoria *primaria*: Homo meritoria *secundaria*. De meritoria *secundaria* quaestio est: nam sive *gratuita* sit praedestinatio, sive *remuneratoria*, non fit a Deo nisi intuitu meritorum Christi; Ephes. 1. *Praedestinavit . . . Per Jesum Christum.*

Q. 5. *An aliqui praedestinationem negaverint?*

R. Utique. Nam Marcionitae putarunt, homines creari sorte salvandos, vel damnandos. Pelagiani docuerunt, praedestinatione laedi libertatem, et sic fuisse Apostolos tantum praedestinatos. Ambrosius Catharinus admisit praedestinationem in solis Apostolis, B. Virgine, aliisque Sanctis insignioribus; et alios docuit salvari posse, quin sint praedestinati.

Q. 6. *An sit in Deo predestinatio: et soli praedestinati salventur?*

R. Ita res est. Nam Rom. 8. *Quos praedestinavit . . . illos et glorificavit.* Atqui verba *quos praedestinavit*, indicant in Deo praedestinationem; et *illos glorificavit* innuunt solos praedestinatos salvari. Ergo etc.

Objic. 1. Si foret in Deo praedestinatio, *omnes praedestinaret*: nam *omnes vult Deus salvos fieri.* Atqui non omnes praedestinat. Ergo non est

in Deo praedestinatio. = R. Dist. Ma. Omnes praedestinaret, si omnes praevideret gratiae cooperaturos, Conc. Secus Neg. Nam praedestinatio, ut infra *Q.* 7. Est remuneratoria, et ex praevisis meritis.

Objic. 2. Posita in Deo praedestinatione, quisque diceret: *ut quid mihi cura salutis? Statuta res est: et Deus non mutatur.* Ergo non est in Deo praedestinatio. = R. Neg. Ma. Nam Deus prius praevidit curam salutis in homine, quam ipsum praedestinaverit.

Objic. 3. Catharini sententiam non damnavit Ecclesia. Ergo recipi valet; et multi salvari possint, quin sint praedestinati. = R. Neg. Cons. Nam ni damnata, damnabilis est, et eam rejiciunt omnes.

Q. 7. *Quid sentiant Theologi de modo praedestinandi?*

R. Alii cum D. Th. dicunt Deum praedestinasse suo beneplacito. Alii cum D. Bonav. intuitu meritorum creaturae, ut *Sup. Q.* 3. Posterius probabilius est; ut e sequentibus patet documentis.

Argumenta pro Praedestinatione remuneratoria.

I. Jacob. 1. *Superexaltat* (graece superexultat) *misericordia judicium.* Si praedestinatio paucorum, relictis aliis, *gratuita* foret, judicium e contra super misericordiam exultaret. Ergo non est gratuita.

II. Rom. 8. *Quos praescivit, et praedestinavit.* Praescientia autem indicat praevisa merita. Nam Abr. L. 5. De fid. C. 3. *Non ante praedestinavit, quam praesciret: sed quorum merita praescivit, eorum praemia praedestinavit.*

III. Mat. 25. Christus dicet: *Possidete regnum vobis paratum*; *esurivi enim*, *et dedistis*. Ergo causa regni parati, ac possidendi sunt opera pietatis, et gratis illud *Esurivi*, et *dedistis* refertur ad *possidete*, non ad *paratum*.

IV. 1. Thim. 2. Deus etiam post lapsum, *vult omnes salvos fieri*. Si a se tantum penderet praedestinatio, ne sibi contradiceret, omnes praedestinaret. Atqui non omnes praedestinat. Ergo non a se tantum; sed etiam ex meritis previsis.

V. II. Cor. 5. *Omnes mortui sunt* (in Ada); *et pro omnibus mortuus est Christus*. Parvifaceret autem Deus filii sui mortem, si suo beneplacito tam paucos intuitu Christi ad vitam praedestinaret. Ergo non ita res est.

VI. Rom. 10. *Non est distinctio Judaei*, *et Graeci*; *nam idem Dominus omnium*, *dives in omnes*. Fieret autem distinctio, et non foret Dominus dives io omnes, si ex omnibus paucos Deus ad placitum eligeret. Ergo non est ita.

VII. Si a Patre aliquo penderet filios omnes a morte liberare, omnes non aliquos tantum liberaret. Id maxime de Patre Deo credendum est. Si ergo non omnes praedestinando liberat; evidens est non a se solo id pendere.

VIII. Omittuntur innumeri Patres, ac Theologi, qui sunt pro praedestinatione *remuneratoria*: nam cnm sint et alii pro *gratuita*, nihil certi ex illis concluditur.

Objecta in Praedestinationem remuneratoriam.

I. Luc. 12. Christus Apostolis ait. *Nolite timere*; *quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum*. Ergo praedestinatio est a Dei beneplaci-

to. = R. Neg. Cons. Nam non ait complacuit *parare*, sed *dare*. Loquitur ergo de collatione regni, quod certe tribuitur meritis.

II. Act. 13. *Crediderunt quotquot praeordinati erant ad vitam aeternam.* Ergo praedestinatio praecedit ipsam quoque fidem = R. Dist. Cons. Ipsam quoque fidem *actualem*, ut indicat vox *crediderunt* Conc. *Praevisam* ab aeterno, Neg.

III. Rom. 9. *Cum nondum aliquid boni, vel mali egissent, Jacob dilexi, Esau odio habui.* Ergo praedestinatio Jacob praecessit ejus merita = Dist. Cons. Praecessit merita *actualia*, ut indicat vox *egissent*, Conc. Merita ab aeterno *praevisa*, Neg. Secus etiam Esau reprobatus fuisset ante previsum malum, quod Calvinianum est.

IV. Praedestinatio ad perseverantiam non est ex meritis. Ergo nec ad gloriam illi conjunctam = R. Dist. Ant. Non est ex meritis *condignis* Conc. *Congruis* Neg. Nam Aug. De Pers. Ait; *Hoc donum suppliciter emereri potest.*

V. Predestinatio infantium cum baptismo decedentium est gratuita. Ergo etiam aliorum. = R. Neg. Cons. Nam in infantibus renatis sufficiunt Christi merita. In adultis vero merendi capacibus, non sufficiunt.

VI. Ordinate volens prius vult finem, quam de mediis cogitet. Ergo Deus in praedestinatione prius vult gloriam, quam merita praevideat. = R. Dist. Ant. Prius vult finem, si finis *a se tantum* pendeat, Conc. *Si ab alio quoque*, Neg. Nam hoc in casu prius videt, si alius etiam velit. Sic Deus in praedestinatione.

Q. 8. *Quae sint praedestinationis proprietates?*

R. Duae presertim. I. *Infallibilitas*: nam Deus praedestinando non fallitur: Hinc Jo. 10. *Non*

peribunt (electi) *in aeternum*. Mori possunt in peccato; at non sic morituri praevisi sunt. II. *Immutabilitas* : nam Deus, decreta praedestinatione, dicit; *Ego Dominus, et non mutor.*

Q. 9. *Qui sint praedestinationis effectus?*

R. Sunt media, quae reipsa ducunt ad gloriam: Hinc gratia, fides, opera, *si ducant*, effectus praedestinationis sunt: secus *si non ducant*. De veris effectibus dicitur Rom. 8. *Quos praedestinavit, vocavit, justificavit, glorificavit.*

Q. 10. *Quis sit praedestinatorum numerus?*

R. Incertus est. At *in se* valde magnus est: nam Apoc. 7. *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat*, etc. Comparative vero *ad reprobos*, pusillus est grex, *Luc.* 12. Probabilius tot sunt, quot Angeli apostatae, juxta Patres. At alii valde augent hunc numerum.

Q. 11. *An aliqua sint praedestinatorum signa?*

R. Nulla sunt *evidenter* certa: nam Eccl. 9. *Nescit homo utrum odio, vel amore dignus sit.* Multa vero sunt *moraliter* certa, ut amor Verbi Dei, studium Deo placendi, Deiparae cultus, et Beatitudines ec.

Q. 12. *Quid, et quotuplex sit liber vitae, de quo loquitur Scriptura?*

R. Est clara Dei cognitio triplicis vitae hominis: Hinc triplex est liber vitae. I. *Vitae naturalis*, de quo ait Moses Exod. 32. *Aut dimitte, aut dele me de libro vitae.* II. *Vitae gratiae*, de quo Psal. 68. *Cum justis non scribantur.* III. *Vitae gloriae*, de quo Dan. 12. *Salvabitur, qui inventus fuerit scriptus in libro vitae.*

ART. 3.

De Reprobatione.

Q. 1. *Quid, et quotuplex sit reprobatio?*

R. Est simul exclusio a gloria, et destinatio ad poenam. Juxta Gratuistas duplex est; *negativa*, idest exclusio a gloria ob originale peccatum; et *positiva*, idest destinatio ad poenam, ob peccatum sive originale non deletum, sive actuale non dimissum. Juxta Remuneratistas, una est *positiva* tantum.

Q. 2. *An admittenda sit reprobatio negativa?*

R. Non. Nam talis reprobatio fieri dicitur ob originale. Id autem falsum est. I. Quia, etiam post lapsum, *Deus vult omnes salvos fieri.* Fictitia vero foret haec Dei voluntas, si ob solum originale multos excluderet a gloria. II. Quia exclusio a gloria idem est in re, ac destinatio ad poenam, quam exclusus vitare nequit. Ergo *positiva* tantum reprobatio datur.

Objic. Gratuitistae. Homo lapsus amisit jus ad gloriam. Ergo ei non fit injuria reprobatione *negativa* = R. Neg. Cons. Nam fit injuria tum Deo, qui etiam post lapsum *vult omnes salvos fieri*; tum Christo qui *pro omnibus mortuus est*; tum homini, cui acquisivit Christus sua morte jus amissum.

Q. 3. *Quae sit causa positivae reprobationis juxta Jansenium?*

R. Est in omnibus pueris et adultis, fidelibus et infidelibus originale peccatum. At fallitur: nam saltem in fidelibus adultis non est originale, quod baptismo deletur: et licet maneat concupiscentia, haec tamen *per se* non est peccatum, quod Deum ad reprobandum moveat.

Q. 4. *Quae sit causa positivae reprobationis juxta Calvinum?*

R. Est sola Dei voluntas, qui alios ad poenam, alios ad gloriam creat, cum fatali necessitate malum agendi, vel bonum: nam ait L. 3. Inst. *Non pari conditione creantur homines.* At impie; quia Osee 17. *Perditio tua ex te Israel.* Ergo non a Dei voluntate.

Q. 5. *Quae sit positivae reprobationis causa juxta Catholicos?*

R. Communiter est praevisum peccatum, sive originale non delendum, ut in pueris sine baptismo morientibus; sive actuale non dimittendum, ut in adultis fidelibus; sive utrumque, ut in adultis infidelibus. Id est de fide contra Calvinum, ut supra *Q.* 4.

Q. 6. *Qui sint reprobationis effectus; quaeve signa?*

R. Effectus sunt I. Permissio peccati non dimittendi. II. Negatio gratiae finalis, seu perseverantiae. III. Actualis ad poenam damnatio = Signa vero sunt non *evidenter*, sed *moraliter* certa, quae opponuntur signis praedestinationis, ut supra *Art.* 1. *Q.* 12.

Monitum.

Haec habuit Auctor, quae de praedestinatione diceret, ac reprobatione; quaeve humiliter infallibili Ecclesiae Sanctae judicio subjicit: retroctaturus profecto, si minus caute quid exciderit.

TRACTATUS III.

DE DEO TRINO, SIVE DE TRINITATE DIVINA.

Hactenus de Deo in natura Uno. Nunc de Deo in Personis Trino. Hoc est vero Trinitatis Divinae Mysterium; Unus Deus in tribus Personis, et vicissim: vel *Unitas in Trinitate*, *et Trinitas in Unitate*, ut in Symbolo. Non fuit Judaeis aperte revelatum, ne crederent tres Deos, ut ait Basilius: vel ut gradatim imbuerentur homines; ex Augustino. Licet Ecclesiae Novae revelaverit per Christum Deus; tamen praeter Judaeos negant haeretici 1. *Sabelliani*, qui solam Patris personam agnoscunt, eamque incarnatam, et passam, dicti propterea *patripassiani*. II. *Ariani*, et *Sociniani*, qui negant Verbum, et Spiritum Sanctum Divinas esse Personas. Nunc de Trinitatis existentia, Divinitate, proprietatibus, ut sequitur.

CAP. I.

DE MYSTERII TRINITATIS EXISTENTIA.

Q. 1. *An ex Veteri Testamento constet Divinae Trinitatis existentia?*

R. Non Trinitas, sed pluralitas constat Divinarum Personarum. Nam Gen. 1. Ait Deus: *Faciamus hominem ad imaginem nostram.* Et Cap. 3. *Ecce Ada quasi unus ex nobis.* Numerus autem pluralis *faciamus*, *nostram*, *ex nobis* plures indicat Personas. Nec Deus ibi Angelos alloquitur: nam

agitur de creatione, quae Angelis non convenit.

Q. 2. *An ex Novo Testamento constet D. Trinitatis Mysterium?*

R. Maxime. Nam I. Matt. 28. *Baptizantes in nomine Patris, et Filii, et Spiritus S.* Ergo sicuti Pater est Persona; sic et Filius, et Spiritus S. II. Jo. 1. 5. *Pater, Verbum, et Spiritus S: hi tres unum sunt.* En igitur tres Personae in una natura. Et licet hic versiculus, Scriptorum incuria, desit in aliquibus codicibus, est vero in antiquioribus, ex *Cipr. lib. de Unit. Eccl. c. 4.*

Q. 3. *An Traditione constet D. Trinitatis Mysterium?*

R. Ita est. Nam semper ut haereticus habitus est, qui Mysterium hoc negaverit: et Concilia et Patres de illo semper locuti sunt.

Q. 4. *An sola ratione ostendi valeat D. Trinitatis Mysterium?*

R. Minime. Nam Matt. 11. *Nemo novit Filium nisi Pater; neque Patrem, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare.* Ergo nonnisi revelatione ostendi valet. Ratione scimus Deum Unum, non Trinum. Et si Philosophi aliquando de Trinitate locuti sunt; id ex Traditione dilicerunt.

Objic. 1. Jo. 17. *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum verum Deum.* Ergo sola persona Patris est Divina, et Deus est. = R. Neg. Cons. Nam vox *solum* excludit alios Deos; non vero unum Deum in Filio quoque, ac Spiritus S.

Objic. 2. Thessal. 11. *Omnia probate, et quod bonum est tenete.* Trinitatis Mysterium non probatur. Ergo nec tenendum = R. Dist. Ma. *Omnia probate*, sive ratione, sive revelatione Conc. Ratione tantum, Neg.

Objic. 3. Ex quo Pater est Deus, Deus Filius,

Deus Spiritus S. non eruitur tres esse Deos. Ergo ex quo eorum quivis sit Persona; nec eruitur tres esse Personas. = R. Neg. Cons. et Par. Nam Deus multiplicari nequit; bene vero Personae.

Objic. 4. Axioma est: *Quae sunt idem uni tertio, idem sunt inter se.* Personae sunt idem Uni Deo. Ergo idem sunt inter se; non vero tres. = R. Dist. Ma. In sensu, quo sunt idem, Cons. Secus, Neg. Personae sunt idem in Deitate, non Trinitate.

CAP. II.

DE MYSTERII TRINITATIS DIVINITATE.

Q. 1. *Qui Trinitatis Mysterii Divinitatem negent?*

R. De Patris Divinitate nulla quaestio est. At Ariani negant Verbi Divinitatem, et illud putant purum hominem, per quaem Deus omnia fecit. Macedoniani negant Spiritus S. Divinitatem, ac illum esse dicunt Dei virtutem.

Q. 2. *Constat ne Verbi Divinitas adversus Arianos?*

R. Fide constat. Nam 1. Jo. 1. *Deus erat Verbum — Verbum caro factum est* — Jo. 14. *Ego, et Pater unum sumus*, idest una res Divina — Rom. 9. Verbum caro factum vocatur *Super omnia Deus* — Verbum in Symbolo fatemur *Deum verum de Deo vero.*

Objic. I. Prov. 8. *Dominus possedit me*; in Graeco est *creavit me.* Ergo Verbum est Creatura. II. Jo. 1. Verbum caro factum dicitur *quasi unigenitus.* Ergo non vere genitus. III. Jo. 17. Verbum caro factum rogat Patrem, ut fideles *sint unum, sicut nos.* Fideles autem non sunt unum in natura. Ergo nec ipsum cum Patre.

Resp. ad I. In Graeco *creavit* idem est, ac *genuit*. Ad II. In Graeco non est *quasi*, sed *sicut*. Ad III. Loquitur Christus de unitate consensus, non naturae.

Objic. II. Ariani. I. Exod. 7. Moses dicitur *Deus Pharaonis*, licet homo tantum. Ergo sic, et Verbum caro factum. II. Jo. 1. De Verbo dicitur: *Omnia per ipsum facta sunt*. Ergo est simplex Patris instrumentum. III. Pater, vel genuit Filium *existentem*, et frustra genuit: vel *non existentem*, et hic non antea fuit, nec Deus est.

Resp. Ad I. Neg. Cons. et Par. Nam Moses dicitur *constitutus Deus*, idest Dei Minister: Verbum vero absolute dicitur Deus; *Deus erat Verbum*. Ad II. Illud *per ipsum* indicat etiam causam efficientem, nedum instrumentalem. Ad III. Genuit nec existentem, nec non existentem; sed genuit coaeternum, ut Sol lucem.

Objic. III. Ariani. I. Christus ab Apostolo vocatur *praedestinatus* Filius Dei; et *primogenitus* mortuorum. Haec autem nomina creaturae conveniunt. Ergo Christus non est Deus. II. Christus Jo. 14. Ait *Pater major me est*. Ergo non est Deus sicut Pater. III. Christus Filiis Zebedaei ait; *Sedere ad dexteram meam, non est meum dare vobis*. Ergo non est Deus remunerator.

Resp. Ad omnia Neg. Cons. Num cum Christus sit Deus, et homo; in praefatis sermo est de Christo homine.

Q. 3. *Constat ne Spiritus S. Divinitas adversus Macedonianos?*

R. Fide constat. Nam I. Actt. 5. Ananias Spiritui S. mentitus, dicitur Deo mentitus. Ergo Spiritus S. Deus est. II. Scriptura est a Deo inspirata. Atqui Scriptores dicuntur *a Spiritu S. inspi-*

rati. Ergo Spiritus S. Deus est. III. 1. Io. 5 *Pater*, *Verbum*; *et Spiritus S.*; *hi tres unum sunt*. Ergo Spiritus S. Deus est, sicut Pater, et Verbum. IV. Idipsum Concilia, et Patres.

Objic. Macedoniani. I. Ab Apostolo Spiritus S. dicitur *postulare* pro nobis, et a nobis *contristari ac extingui*. Haec Deo repugnant. Ergo non est Deus. II. Io. 16. Spiritus S. *Quae audit*, *loquitur*. Ergo ab alio pendet, et non est Deus. III. Spiritus S. non est ingenitus, ut Pater; nec genitus ut Filius. Ergo nullimode Deus est.

R. Ad I. Dist. Ma. postulat per seipsum, Neg. Per alios sua gratia, Conc. Item contristatur; et extinguitur in sua gratia, cum ei resistitur Conc. In seipso, Neg. Ad II. Neg. Cons. Nam *audit* ut Persona procedens, non ut Deus. Ad III. Neg. Cons. Nam inter *ingenitum*, et *genitum* est *procedens*, qui Deus est.

Q. 4. *An Spiritus S. a Patre Filoque procedat?*

R. Id est de fide. Nam sicuti procedit a Patre, quia *Matt.* 10. vocatur *Spiritus Patris*. Sic etiam procedit a filio; quia *Galat.* 4. Vocatur *Spiritus Filii*. Idipsum Florent. definivit. Procedit porro a Patre, Filioque ut ab uno principio; quia una est in eis spirandi vis.

Objic. *Io* 15: Et in *Symb.* Costantin. Dicitur solum; *Qui a Patre praedit*. Ergo Spiritus S. non procedit a Filio: et gratis eidem Symbolo addita est particula *Filioque*.

Resp. Neg. Cons. Nam saepe in Scriptura tribuitur uni Personae, quod aliis quoque convenit. In Symbolo vero, primum dictum fuit tantum *a Patre*; quia Macedoniani credebant a Filio procedere, non a Patre. Deinde jure additum fuit *Filioque*; quia Graeci id negabant.

Q. 5. *An Trinitatis Personae sint unus, et idem Deus?*

R. Id est de fide Nam in Scripturis, nunc dicitur; *His tres unum sunt*: nunc, *Ego, et Pater unum sumus*: nunc, *In nomine Patris. etc*; idest in una potestate. Idipsum definitum est in Conciliis, et creditur in Symbolis. Ergo ec.

CAP. III.

DE TRINITATIS PROPRIETATIBUS.

Q. 1. *Quid, et quae sint proprietates Trinitatis Divinae?*

R. Proprietates sunt res propriae, ac inseparabiles a Dei Natura, et Personis. Principes sunt *Notiones*, *Processiones*, *Circuminsessiones*, *Missiones*, *Relationes*, *Nomina Personarum*.

Q. 2. *Quid sint, et quot Notiones in Divinis?*

R. *Notiones* sunt signa, quibus Personae ad invicem distinguuntur. Quinque sunt. *Innascibilitas*, et *Paternitas*, quibus noscitur Persona Patris, ut improducta, et generans. *Filiatio*, qua noscitur Persona Filii, ut genita. *Spiratio activa*, qua noscuntur Personae Patris, et Filii, ut principium Spiritus Sancti. *Spiratio passiva*, qua noscitur Spiritus Sanctus; ut a Patre Filioqne productus.

Q. 3. *Quid, et quotuplex sit Processio in Divinis?*

R. *Processio* est origo unius Personae ab alia, ut a *principio*: nam ut *a causa* innuit dependentiam: nec in Persona producente prioritas est *temporis*, sed *originis*; ut in Sole producente locem. Duplex est I. Filii a Patre: Hinc Christus Jo. 8. *Ego ex Patre processi.* II. Spiritus Sancti a Pa-

tre Filioque; unde Jo. 15. *Spiritus, qui a Patre procedit.*

Q. 4. *Quod sit principium Processionum in Divinis?*

R. Alii putant esse solam Naturam: Alii solam Personam: Alii utramque simul, quod verius est. Nam, si Later. 4. Ait; essentia non est generans, nec genita; jam nou est sola Natura. Si Anselmus in Monol. *Spiritus Sanctus non procedit ex quo plures sunt*; jam non est sola Persona. Ergo est utraque.

Q. 5. *An, et in quo Verbi generatio differat a processione Sp. S.?*

R. I. Certum est differre: secus vel duo Filii, vel duo Spiritus Sancti essent in Divinis. At Aug. L. 2. Contra Maximum C. 14. Ait: *Distinguere inter generationem, et Processionem nescio.* Scotistae ajunt: generationis principium *quod*, est quicquid est Pater; et *quo* suiipsius cognitio. Processionis principium *quod*, est quicquid sunt Pater, et Filius; et *quo* mutuus ipsorum amor.

Q. 6. *Quid sit Circuminsessio in Divinis?*

R. Est mutua existentia unius Personae in alia; Jo. 14. *Nescitis, quia ego in Patre, et Pater in me est?* Id porro fluit ex unitate Naturae in tribus Personis, quae ab illa inseparabiles sunt.

Q. 7. *Quid, et quotuplex sit Missio in Divinis?*

R. Est origo unius Personae ab alia, producentis ad extra effectum aliquem: secus origo non *Missio*, sed *Processio* foret. Effectus vero, vel est visibilis, ut Christi Natalis, etc. vel invisibilis, ut gratiae infusio, etc. Hinc nonnisi duae sunt Missiones in Divinis: nam duplex est origo; idest Filii a Patre, et Spiritus S. a Patre, ac Filio: et duplex effectus ad extra, idest Incarnatio Filii, opera Spiritus Sancti, etc.

Objic. I. Persona mittens major esset missa. Ergo non datur missio. II. Effectus ad extra convenit etiam Patri: nam opera ad extra sunt tribus Personis communia. Ergo Pater etiam mittitur. Resp. Ad I. Dist. Ant. Major esset, si missio fieret per imperium, Conc. Per originem, Neg. Ad II. Neg. Cons. Nam ad Missionem non sufficit opus ad extra, sed requiritur etiam origo, qua caret Pater.

Q. 8. *Quid, et quotuplex sit Relatio in Divinis?*

R. Est respectus unius Personae ad aliam, qui spectari valet, vel *concrete* idest forma cum subjecto, ut *Pater*, *Filius*, etc. vel *abstracte* idest forma sine subjecto; ut Paternitas, Filiatio, etc. Relatio *concrete* spectata triplex est; Pater, Filius, et Spiritus S. *Abstracte* vero quadruplex est; *Paternitas*, *Filiatio*, *Spiratio activa*, *et Spiratio passiva*. Non sunt autem quatuor Personae; quia Spiratio activa *concrete* sumpta idem est, ac Pater, et Filius. Quaevis relatio *concrete* est infinitae perfectionis; *abstracte* est nihil, quia non datur forma sine subjecto.

Q. 9. *Quae sint Nomina Personarum in Divinis?*

R. Nomina, vel sunt *propria*, quae uni non alteri Personae conveniunt; vel *appropriata*, quae licet communia, ob aliquam rationem uni potius quam alteri tribuuntur. *Propria* Patris sunt *ingenitus*, et *genitor*: Filii sunt *Verbum*, et *genitus*. Spiritus Sancti sunt *Spiratus*, et *procedens*. *Appropriata* Patris sunt *Omnipotens*; quia principium Trinitatis: Filii, *Sapientia*, quia cognitione genitus: Spiritus Sancti *donum*, quia amore Spiratus.

Q. 10. *An supposita revelatione, Trinitas explicetur ratione?*

R. Aliquomodo. Nam I. D. Natura utpote

perfectissima, est faecunda; et sic exigit esse in Persona Patris II. Pater cognoscens seipsum, producit Verbum consubstantiale, quia seipsum ei communicat. III. Pater, et Verbum mutuo se diligentes, producunt Spiritum Sanctum, cui totum communicant, praeter Relationes, IV. Unus est Filius, quia solus exhaurit vim generandi: et unus Spiritus Sanctus, quia solus exhaurit vim spirandi.

TRACTATUS IV.

DE DEO CREATORE.

Tribus capitibus hicce tractatus absolvetur, addita apendice de orig. peccato.

C A P. I.

DE CREATIONE UNIVERSIM.

Q. 1. *An mundus fuerit creatus*; *et in tempore?*

R. Ita est. Nam Psal. 145. *Qui fecit Coelum, et Terram, et quae in eis sunt.* Quod autem fit, est creatum, et in tempore: nam quod est aeternum, et increatum semper fuit, non vero fit. Sane; mundus aeternus, et increatus foret a seipso: et sic esset simul producens seipsum, et producendus; quod repugnat.

Objic. Epicuraei. I. Mundus creatus foret ex nihilo: nam sic fit creatio. Ex nihilo autem nihil fit. Ergo mundus non est creatus. II. Valet Deus esse a se. Ergo etiam mundus. = R. Ad I. Dist.

Min. Ex nihilo *nihil fit*, a vi finita, Conc. Infinita, Neg. Ad II. Neg. Cons. et par. Nam Deus est Ens necessarium; mundus vero contingens.

Objic. II. Creatio mutat Deum de non agente in agentem. Deus autem est immutabilis. Ergo non datur creatio. II. Verbum valet esse productum, et increatum. Ergo etiam mundus. =
R. Ad I. Neg. Ma. Nam in creatione non mutatur Deus, sed mundus de non esse ad esse. Ad II. Neg. Cons. et Par. Nam Verbum necessario producitur, et ideo non est creatum. Secus vero mundus.

Q. 2. *An mundus saltem creari potuerit ab aeterno?*

R. Sic aliqui Philosophi, ac Theologi putarunt: at decepti sunt. Nam creatio aeternitati adversatur; quia creatio initium habet, quo caret aeternitas. Deinde idem esset simul quia aeternum, et non esset quia creandum.

Objic. I. Ab aeterno fuit Deus Omnipotens, et mundus possibilis. Ergo potuit ab aeterno creari. II. Si Sol fuisset aeternus, sic et lux fuisset. Ergo cum Deus sit aeternus, sic et mundus esse potuit.

Resp. Ad I. Dist. Ant. Mundus ab aeterno fuit possibilis, ad existendum in tempore Conc. Ad existendum ab aeterno, Neg. Ad II. Neg. Cons. ac Par. Nam lux Soli necessario nectitur; non sic vero mundus Deo.

Q. 3. *Quo anni tempore mundus creatus fuerit?*

R. Alii aestivo; Alii autumnali; nemo hiemali; Alii verno tempore putant fuisse creatum. Postremum probabilius est. Nam Gen. 1. Ait Deus; *Germinet terra etc.* Id autem fit verno tempore. Hinc Aug. q. 34. *Voluit Deus mundum redimere,*

quando creavit; redemit autem verno tempore. Ergo tunc creavit.

Q. 4. *Quo sensu accipiendi sint dies creationis mundi?*

R. Plerique sex dies pro sex instantibus accipiunt : at communius pro sex diebus naturalibus accipiuntur. Nam Gen. 1. Singulis diebus tribuitur *vespere*, ac *mane*. Item ; *requievit Deus die septimo*, *et sanctificavit illum*. Dies autem festus est naturalis. Ergo et alii.

Objic. I. Gen. 1. Dicitur ; *In die, quo fecit Deus Coelum, et Terram.* Ecli. 13. *Qui vivit in aeternum, creavit omnia simul.* Ergo mundus eodem die, ac statim fuit creatus. II. Sol, qui metitur dies, dicitur factus quarto die. Ergo sicut tres priores dies non fuerunt naturales, sic etiam alii.

Resp. Ad I. Dist. Cons. Eodem die, ac statim quoad communem materiam, Conc. Quoad materiae divisionem, Neg. Nam Deus prius in instanti materiam creavit ; deinde sex diebus illam divisit in Coelum, Terram, etc. Ad II. Moses loquitur de tribus prioribus diebus, sicuti de posterioribus formato jam Sole, ob claritatem.

Q. 5. *Quomodo distributum fuerit opificium sex dierum?*

R. Gen. 1. *Die* 1. Facta est lux. *Die* 2. Firmamentum. *Die* 3. Terra, et mare. *Die* 4. Sol, et Luna. *Die* 5. Pisces, et aves. *Die* 6. Omne animal, etiam homo. Qui plura cupit, adeat Auctores.

Q. 6. *Qui fuerit Paradisus voluptatis, de quo Scriptura?*

R. Fuit locus in Oriente dictus *heden*, supra montes Armeniae, ubi quievit Arca post diluvium. Nam ex illis montibus exeunt, quatuor illa

flumina, in quae dividebatur *fluvius* egressus de loco voluptatis; uti ostendit Lubin.

Q. 7. *Quae arborum species fuerint in Paradiso voluptatis?*

R. Tres I. *Lignum ad vescendum*, quo indicantur omnes arbores pomiferi. II. *Lignum vitae*, cujus fructus dabant stabilitatem contra vetustatem. III. *Lignum scientiae*, quod fuit Adae vetitum, ex quo didicit obbedientiae bonum, ac inobbedientiae malum.

CAP. II.

De creatione Angelorum.

Q. 1. *Quid sit Angelus? An Angeli existant? Quando creati?*

R. Angelus, vi nominis est *Nuntius*; vi suae naturae *Spiritus completus*. Dicitur *completus*, quia non est forma corporis, et pars hominis ut Anima, quae ideo est *Spiritus incompletus*. De fide existunt; quia passim Scriptura de illis. Creati sunt una cum luce, *ex Augustino*.

Q. 2. *An Angeli sint incorporei, ac puri Spiritus?*

R. Sunt. Nam I. Hebr. 1. Vocantur *administratorii Spiritus* II. Si corporei forent, esse non posset in uno corpore obsesso daemonum legio *Luc.* 8, quae constat 6666. Hinc decepti sunt aliqui veteres Patres, qui tribuerunt Angelis corpuscula, *vehicula Spirituum* vocata.

Q. 3. *Qui sit Angelorum numerus? Et quae inter eos distinctio?*

R. Incertus est numerus; licet magnus. Nam Dan. 7. *Millia millium ministrabant ei*; *et decies*

centena millia assistebant. Patres multi ajunt, omnes esse unius speciei. Augustinus fatetur se nescire; D. Thomas docet, singulos esse speciei diversae.

Q. 4. *An sit aliquis ordo, ac dependentia inter Angelos?*

R. *D. Greg. Hom.* 34. novem ordines ex Scripturis enumerat. D. Dionys. *L.* 1. *De Coel. Hier.* In tres Hjerarchias distribuit. In 1. Sunt *Seraphim Cherubim*, *Throni.* In II. Sunt *Dominationes*, *Virtutes*, *Potestates.* In III. Sunt *Principatus*, *Archangeli*, *Angeli.* Ex D. Bern. prima illuminatur a Deo, secunda a prima, tertia a secunda.

Q. 5. *Quae cognoscant, vel non naturaliter Angeli?*

R. Cognoscunt seipsos, et alios Spiritus in seipsis. At objecta corporea, vel in ideis innatis, vel etiam in seipsis: nam si formant, assumunt, movent: etiam agnoscunt. Nequeunt autem agnoscere cordium secreta, et futura libera; quia Deus speciali providentia denagat eis suum concursum; *est communis.*

Q. 6. *An sit aliqua locutio in Angelis?*

R. Est. Nam Isa. 6. *Seraphim clamabant alter ad alterum.* Psal. 21. Angelis petentibus. *Quis est iste Rex gloriae?* Alii respondent *Dominus fortis, et potens, etc.* Secus non constituerent societatem. Eorum locutio est idearum manifestatio, quae fit ideas dirigendo per actum voluntatis.

Q. 7. *An Angeli sint custodes hominum?*

R. Quoad aliquos fideles, est de fide: Psal. 90. *Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant:* et hoc in sensu fit eorum festum. Quoad omnes vero, Catholica Doctrina est; ita ut Chry-

post. Hom. 3. *Unusquisque fidelis Angelum habet.*

Q. 8. *An infideles, Regna, elementa custodes habeant Angelos?*

R. Id probabile putant Theologi. Hinc Aug. L. 81. Q. 79. *Unaquaeque res visibilis Angelicam habet Potestatem.* Officia sunt avertere mala, procurare bona, offere praeces, deducere ad Coelum Animas.

Q. 9. *An Angelus localiter sit in loco; et localiter moveatur?*

R. Ad I. Affirm. Contra Thomistas, qui volunt esse virtualiter. Nam quicquid est, alicubi est; et qui nullibi est, profecto non est; quia in nihilo nihil est. Ad II. Affirm. Nam Luc. 1. *Missus est Angelus Gabriel ad Virginem: ingressus ad eam dixit: et discessit ab illa.* Haec autem fieri non possunt sine motu locali.

Q. 10. *An Angeli locus sit definitus, seu limitatus?*

R. Utique. Nam illimitatio, et ubiquitas est solius Dei. Valent quidem esse plures Angeli in eodem loco, quia sunt puri Spiritus. At unus esse nequit *naturaliter* in pluribus locis discontinuis, ut Romae, ac Parisiis; bene vero continuis, ut in quatuor cubiculi angulis. *Supernaturaliter* autem valet esse in pluribus mundi partibus.

Q. 11. *An Angeli assumere valeant, ac movere corpora?*

R. Ita est. Nam *Gen.* 18. Jacob luctavit cum Angelo: id autem non potuisset, nisi Angelus corpus assumpsisset. Et *Matt.* 4. Malus Angelus Christum statuit super pinnaculum Templi: ergo movit. Corpora assumpta aliquando sunt vera, aliquando apparentia; *Aug. L.* 15. *C. D.* Eisque uniuntur Angeli assistendo, non informando, et

eorum actiones non sunt vitales, ut nutriri, generare; nam hae sunt a principio intrinseco; sed sunt mechanicae tantum.

Q. 12. *An, et quas gratias habuerint in sui creatione Angeli?*

R. Quia creati fuerunt ad gloriam assequendam, habuerunt tum gratiam *habitualem* ad merendum; tum *actualem* ad bene agendum, et perseverandum. An vero ex Christi meritis? negant Thomistae; quia Christus post praevisum Adae lapsum decretus fuit: affirmant Scotistae; quia Christus ex Apostolo, est *Caput hominum et Angelorum*, et influit in omnia membra.

Q. 13. *Quodnam fuerit rebellium Angelorum peccatum?*

R. Superbia fuit. Nam Jobi 42. Lucifer vocatur *Rex super Filios superbiae*: non quia Divinitatem ambierint; cum id repugnare scirent; nec quia Christi Humanitati se subjicere noluerint: cum id non constet; sed quia ob vanam sui gloriam, Deo noluerint obedire; et sic est intelligendum illud Isa. 12. *In Coelum conscendam; similis ero Altissimo.*

Q. 14. *Quot Angeli ceciderint? Quotve steterint?*

R. Incertum est. Communiter tertia pars cecidisse fertur; Apoc. 12. *Drago magnus . . . cujus cauda trahebat tertiam partem stellarum.* Ceciderunt porro, non de Coelo gloriae *coelestis*, in quo non erant; sed de Coelo sui gloriae naturalis; et hic est sensus illius oraculi: *Cecidisti de Coelo Lucifer! . . . qui in deliciis Paradisi fuisti.*

Q. 15. *An statim rebelles damnati, et fideles Angeli glorificati fuerint?*

R. Idest de fide. Nam II. Petri 2. *Deus Angelis peccantibus non pepercit; sed in tartarum tru-*

didit cruciandos. Non de fide vero, sed Catholica doctrina est, daemones igne cruciari. Si ergo rebelles statim damnati; sic et fideles statim glorificati fuerunt.

CAP. III.

DE CREATIONE HOMINIS.

Q. 1. *Quis fuerit primus homo a Deo conditus?*

R. Fuit Ada. Nam Gen. 1. *In principio creavit Deus Coelum, et Terram; et creavit hominem ad imaginem suam.* Ergo antea non erant coelum, et terra, nec homo. Fallitur hinc Peirerius, et Praeadamitae somniantes Adam fuisse Patrem Judaeorum; et ante illum extitisse alios homines.

Objic. I. Gen. 4. Ait Deus caino; *Si bene feceris, recipies; si male, statim peccatum erit in foribus.* Ergo ante cainum, primum Adae filium, erant tribunalia. II. Cain aedificavit civitatem. Ergo erant multi homines = R. Ad I. Neg. Cons. Nam ibi sermo est de foro conscientiae, ut innuit vox *statim.* Ad II. Neg. Cons. Nam cain construxit *civitatem*, idest plura domicilia pro suis Parentibus, et posteris, non pro aliis antea.

Q. 2. *Quomodo creati fuerint Ada, et Haeva?*

R. Ex Gen. 2. Adae corpus formavit Deus *de limo terrae*; in quod inspiravit, seu creavit *spiraculum vitae*, idest Animam. Corpus vero Haevae formavit ex Adae costa; in quod animam inspiravit, licet Scriptura eam non memoret. Superflua non erat illa Adae costa; nec ipse mancus remansit; quia Deus *replevit carnem pro ea.* Gen. 2.

Q. 3. *In qua statura, et aetate creatus fuerit Ada?*

R. Nec in *infantili*; quia tutrice indiguisset:

nec in *gigantea*; quia non constat. Sed ex *Aug. de Gen. ad Lit.*, in aetate *juvenili*, et fortasse annorum 30, ut plerique putant.

Q. 4. *An Ada fuerit hermaphroditus, ut aliqui somniarunt?*

R. Nequaquam. Nam sic gignere non potuisset; ac frustra dixisset Deus; *Crescite, et multiplicamini* Hinc illud *Masculum, et Feminam creavit eos*, non simul est accipiendum, sed seorsim, idest *Adam, et Haevam.*

Q. 5. *In quo statu creatus. Ada fuerit?*

R. In statu integritatis, ac innocentiae: nam Eccli. 7. *Deus fecit hominem rectum.* Hinc in eo statu habuit I. Justitiam originalem, vi cujus corpus animae, et haec Deo facile parebat: an illa differebat ab habituali gratia? controvertitur. II. Gratiam actualem ad bene agendum, et habitualem ad merendum: nam creatus dicitur ab Apostolo *in justitia, et sanctitate.* III. Nec ignorantiae, ac pravae concupiscentiae, nec miseriis, ac morti erat obnoxius: nam Sap. 1. *Deus mortem non fecit.*

Q. 6. *An Ada in statu innocentiae filios genuisset.*

R. Utique. Nam in eo statu, et ante lapsum dixerat Deus; *Crescite, et multiplicamini.* Tunc enim concupiscentia, qua coitus perficitur, non fuisset effrenis, sed rationi subjecta.

Q. 7. *Quodnam fuerit Adae peccatum?*

R. Fuit superbia. Nam Eccli. 10. *Initium omnis peccati est superbia.* Et si Lucifer ait; *Similis ero Altissimo*; serpens etiam Haevae dixit *Eritis sicut Dii*, et ei Ada credidit.

Q. 8. *Quas poenas incurrerit Ada per peccatum?*

R. Mentis ignorantiam, pravam inclinationem,

membrorum rebellionem, bellum inter carnem, ac Spiritum, miserias, ac mortem. Has enim experiuntur Adae posteri, *in quo omnes peccaverunt*; Apost.

Q. 9. *An Ada veniam consecutus fuerit, ac salutem?*

R. Maxime. Nam Sap. 14. *Haec illum qui formatus est Pater Orbis terrarum custodivit, et eduxit illum a delicto suo.* Idipsum ex Patrum Traditione. Et Romae in Litaniis *Sancte Ada ora pro nobis.*

Q. 10. *Quid sit; et an possibilis status purae naturae?*

R. Hic status est medius inter statum integritatis, et corruptionis. In eo foret homo sine gratia, et sine culpa originali: at subesset miseriis, peccare posset, ac damnari. An possibilis sit; controvertitur. Probabilius negative: nam foret homo miser sine culpa: ex Aug. autem. L. 1. Oper. Imper.; *Nemo miser, nisi mereatur.*

APPENDIX.

DE PECCATO ORIGINALI.

Q. 1. *Quid sit peccatum originale; et qui istud negent?*

R. Est mortale delictum ab Ada commissum, ac in ejus posteros transfusum. Dicitur *originale*, quia originem ab Ada traxit. Ejus transfusionem negant origeniani, pelagiani, etc. Novatores eximunt filios baptizatorum, quia in istis deletum fuit.

Q. 2. *An fide constet existentia, seu transfusio peccati originalis?*

R. Ita est. Nam Rom. 5. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, in quo omnes peccaverunt.* Hoc autem peccatum dicitur *originale.* Ergo existit. Idipsum Concilia praesertim Trid.

Objic. 1. Ezech. 13. *Filius non portabit iniquitatem Patris.* Et Rom. 1. *Ubi non est lex, nec praevaricatio.* Portaret autem iniquitatem Patris, et legis foret capax, qui conciperetur in originali peccato. = R. Illa oracula sunt de peccato actuali, non originali.

Objic. 2. Deum dedecet creare Animam a peccato maculandum. Deinde illicitus foret Matrimonii usus, si ex eo sequeretur peccatum. Denique non datur peccatum, nisi voluntarium. = R. Neg. Cons. Nam ad I. et II. Non debet Deus ob culpam hominis destruere legem de creatione Animae, formato corpore; ac de propagatione filiorum. Ad III. Peccatum est etiam originaliter voluntarium.

Q. 3. *In quo essentia consistat originalis peccati?*

R. Non in sola concupiscentia, ut ajunt Novatores; quia baptismo deletur peccatum, et manet concupiscentia. Sed ex D. Aug. et D. Th. Consistit in reatu simul, qui baptismo deletur, et concupiscentia quae manet.

Q. 4. *Quomodo tranfundatur originale peccatum?*

R. Communiter Theologi docent, Deum supremo dominio inclusisse voluntates omnes in Adae voluntate hac lege, ut Ada stante *justitia*, et Ada labente *reatus* pertransiret. At Aug. L. 5. Contra Jul. *Aut utrumque vitiatum* (anima et corpus) *ab homine trahitur*; *aut alterum in altero* (anima in corpore) *tamquam in vitiato vase corrumpitur.*

Q. 5. *An. B. Virgo contraxerit originale peccatum?*

R. Nequaquam. Nam 1. Gen. 2. De Maria dixit Deus serpenti; *Ipsa conteret caput tuum*, et Luc. 1. Mariae dixit Angelus; *Benedicta tu in mulieribus*. Haec autem vera non essent, si Maria contraxisset originale. II. *Trid. Ses.* 5. Mariam exclusit a decreto peccati originalis. Ergo istud non contraxit.

Objic. Rom. 5. *In quo* (Ada) *omnes peccaverunt*, Ergo etiam Maria. II. Cor. 1. *Pro omnibus mortuus est Christus*. Ergo etiam pro redemptione Mariae a peccato = R. Ad I. Neg. Cons. Nam vox *omnes* saepe sumitur pro *fere omnes*, ut Psal. 13. *Omnes declinaverunt*. Ad II. Neg. Cons. Nam Mariae redemptio fuit a lapsu *praeservativa*, non *liberativa* post lapsum.

Q. 6. *Quae poena debeatur originali peccato?*

R. Tum *temporalis*, idest miseriae, ac mors; tum *aeterna*, seu damnatio ad inferos. Haec de fide sunt juxta Scripturas, et Concilia. At prior manet ad mortem usque; posterior remittitur in Baptismo.

Q. 7. *Quid sentiant haeretici de pueris sine baptismo morientibus?*

R. 1. Navatores, cum negent originale in Filiis baptizatorum; istorum pueris tribuunt coeli gloriam. At falluntur: nam. Jo. 5. generatim dicitur; *Nisi quis renatus fuerit*, *non potest introire in regnum Dei*. II. Pelagiani gloriam tribuunt *naturalem*: nam ajunt baptismum requiri non ad originale delendum, sed ad aperiendam coeli januam. At desipiunt: nam cum de fide constet originale, ut *sup. Q.* 2.; pueris illis nonnisi poena est.

Q. 8. *Quid Catholici sentiant de pueris sine baptismo morientibus?*

R. Alii *cum* D. *Th.* putant in inferno puniri poena damni non dolorifica, nec cognita. Alii *cum Mag. Sent.* Volunt ibi puniri cognita, et dolorifica poena damni. Alii *cum Aug.* docent puniri dolorifica poena damni, et aliquali poena sensus: hi a praefatis Theologis benignioribus *tortores infantium* vocantur.

Q. 9. *Quaenam ex praefatis Catholicis sententiis probabilior videatur?*

R. Sententia de cognita, et dolorifica poena damni sine ulla poena sensus. Nam I. Poena damni non cognita, nec dolorifica non videtur possibilis his, qui Deum suum ultimum finem amittunt. II. Poena sensus Apoc. 18. Infligitur illi, qui se *glorificavit, et in delicis fuit.* Pueri autem sine baptismo morientes nec se glorificaverunt, nec in deliciis fuerunt.

Objic. I. Augustinenses Matt. 3. *Congregabit tridicum . . . Paleas comburet* Matt. 23. *Dicet his, qui a sinistris erunt, discedite in ignem aeternum* Apoc. 20. *Qui non est in libro vitae, missus est in stagnum ignis.* Pueri autem illi sunt paleae; erunt a sinistris; non sunt in Libro vitae. Ergo ignis erit eis. Resp. Ad I. Parabola tritici est figura Ecclesiae, ad quam non partinent pueri sine baptismo. Ad II. Illi pueri, nec a sinistris erunt, nec eis dicetur *discedite in ignem*: sed seorsim statutis dicetur; *Nisi quis renatus fuerit, non potest introire etc.* Ad III. Quia non sunt in libro vitae, ibi *stagnum ignis* sumendum est pro loco, non pro poena.

Objic. 2. Illi pueri puniri valent poena *damni* Ergo etiam *sensus* = R. Neg. Par. Nam poena *sensus* infligitur illis, quibus dici valet; *Esurivi, et non dedistis*: damni vero non infligitur, sed sequitur ex peccato eorum.

TRACTATUS V.

DE DEO GUBERNATORE.

Huc spectant, quae *Tract. II. Cap.* 5. De Dei providentia dicta sunt. Nam providentia, et gubernatio, provisor et gubernator unum sunt. Leges tantum nunc memorantur; quas statuit Deus pro Universi regimine. Et quoniam hisce legibus voluit Deus sibi devincire creaturas, rationales praesertim; duo hinc erunt hujusce Tractatus capita. I. De legibus, quibus Deus mundum gubernat. II. De Religione hominis in Deum.

CAP. I.

DE LEGIBUS, QUIBUS DEUS MUNDUM GUBERNAT.

Q. 1. *Quid sit mundi gubernatio?*

R. Est directio creaturarum in suum finem, per media convenientia. Dicitur *in suum finem*; quia sine aliquo fine frustra Deus creaturas fecisset. Dicitur per *media convenientia*; quia creaturis diversis diversa conveniunt media.

Q. 2. *Quotuplex sit mundi gubernatio?*

R. Duplex est. *Generalis*, qua Deus creaturas dirigit in finem naturalem; ut motum in astris, vegetationem in plantis, sensationem in brutis, libertatem in homine. *Specialis*, qua Deus rationalia dirigit in finem supernaturalem; ut praedestinationem ad gratiam, et gloriam.

Q. 3. *Quotuplicia sint media dirigendi creaturas diversas?*

R. Triplicia. *Naturalia*, *supernaturalia*, *moralia*. Priora sunt leges mechanicae, quae conveniunt creaturis irrationalibus. Posteriora sunt gratiae, quae conveniunt rationalibus. Postrema sunt leges morales, quae conveniunt eisdem rationalibus, ut mereantur.

Q. 4. *Quid, et quotuplex sit lex moralis?*

R. Est regula morum, cui mores conformari debent. Ex D. *Th.* 1. 2. *Q.* 90. Dicitur *lex* a ligando; quia illa homo Deo obligatur. Lex etiam *Jus* vocatur. Triplex est Jus seu Lex; *aterna* in corde Dei; *interna* in corde hominis; *externa* in tabulis.

Q. 5. *Quid sit lex aeterna; et an extet in Deo?*

R. Ex Aug. L. 2. Contra Faust. C. 27. *Est ratio, et voluntas Dei ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans.* Vel brevius; *Est divina regiminis idea.* Extat in Deo lex aeterna: secus sine idea creationis, ac regiminis mundum creasset, et gubernaret.

Q. 6. *Quot sint proprietates aeternae legis?*

R. Sunt quatuor: *infallibilitas*, *invariabilitas*, *universalitas*, *perpetuitas*; Secus, ut recogitanti patet, creaturae vel non omnes, vel non semper, vel non certas haberent agendi regulas; nec boni distinguerentur a malis; quod Gubernatorem Deum dedecet.

Q. 7. *Quid sit lex interna, seu naturae? et an extet in creaturis?*

R. Ex *Aug. L.* 82. *Q.* 11. Est intimatio legis aeternae creaturis facta. Extat haec lex: secus creaturae non haberent agendi legem; et frustra Deus aeternam statuisset legem. Hinc in irrationalibus est intimatio legis mechanicae, qua suos motus peragere debeant: in rationalibus est in-

timatio legis moralis, qua suos mores dirigant.

Q. 8. *Quomodo lex aeterna creaturis rationalibus intimata fuerit?*

R. Lumine rationis, quo distinguitur verum a falso, bonum a malo; juxta illud Psal. 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine:* hujus legis fundamenta sunt: *Bonum est faciendum, et malum fugiendum — Quod tibi vis, vel non vis fieri; alteri feceris, vel non feceris.*

Q. 9. *Quid sit; et an existere debuit lex positiva Divina?*

R. Est lex exterius a Deo lata, qua declaratur lex naturae. Lata est Scriptura, et Traditione: et *positiva* dicitur, quia extra nos posita est. Existere debuit haec lex: nam Adae lapsu, lumine rationis obscurato, ne Deus deesset in necessariis, declarare debuit naturae legem.

Q. 10. *Quotuplex sit lex positiva Divina?*

R. Duplex est; *Vetus*, et *Nova*. Prior dicitur *Mosaica*; quia Deus per Mosem scripsit, et promulgavit: et continebat praecepta *moralia*, *judicialia*, *caeremonialia*. Posterior dicitur *Christiana*; quod a Christo traditam Apostoli scripserunt, ac promulgarunt: et continet praecepta; *fidei*, *moralia*, *Sacramentalia*.

Q. 11. *Quid sit; et an existere debuit lex positiva-humana?*

R. Est illa morum regula, quae fertur ab humana potestate. Existere debuit pro Societate servanda: secus in electionibus, contractibus, etc. tot forent sententiae, quot capita. Item existere debuit pro coercendis contumacibus in naturae legem, et Divino-positivam. Hinc est mediate a Deo idest mediante humana potestate.

Q. 12. *Quotuplex sit lex positivo-humana?*

R. Triplex est: *Canonica*, *Civilis*, *Jus gentium*. Prior ab Ecclesia fertur per Canones, ac respicit finem, ac res Spirituales. Posterior, fit a Potestate civili, ac respicit finem et res temporales. Postremum est a consensu Nationum, ut foedera pacis, Securitas Legatorum, etc. Quaevis a Deo est mediate: hinc Apost. *Non est potestas nisi a Deo.*

Q. 13. *An leges omnes positivae ab una aeterna lege derivent?*

R. Nulli dubium. Nam lex aeterna, ut *sup.* Q. 5. est Ratio Divina, et voluntas ordinem naturalem conservari jubens perturbari vetans. Ergo quicquid statuitur pro hac conservatione, a Divina manat Ratione. Hinc Aug. L. 1. Lib. Arb. C. 6. ait: *Quicquid est in lege justum, ob aeterna derivat.*

Objic. Lex aeterna, ut *sup.* Q. 6. est infallibilis, invariabilis, perpetua, universalis, Ejusmodi non sunt positivae leges: nam etiam positiva Divina *Vetus* cessavit, et in *Novam* est mutata. Ergo leges omnes positivae non derivant ab aeterna = R. Neg. Min. Nam in cessationibus circumstantiae mutantur, quas praevidit lex aeterna, et in se inclusit.

CAP. II.

DE RELIGIONE HOMINIS IN DEUM.

Q. 1. *Quid sit Religio; et an homini necessaria?*

R. *Vi nominis*, est vinculum seu ligamen, quo creatura obstringitur Deo. *Vi naturae*, est purus Dei cultus. At cum finis Religionis sit hominis salus, definitur etiam: *Disciplina colendi Dei, et salutis procurandae.* Necessaria est; quia tenetur

homo Deo benefactori, et prospicere suae saluti.

Q. 2. *Quid, et quotuplex sit cultus; et cujus necessitatis?*

R. Est amor, et obsequium erga Deum: et hic tantum cultus est *Religiosus*: nam qui homini tribuitur, *civilis* vocatur. *Religiosus* duplex est; *internus*, qui sistit in actibus Animi tantum; *externus*, qui patescit signis corporis. Prior est necessitatis *medii*; quia nihil ab eo excusat. Posterior est necessitatis *praecepti*; et excusat impotentia, ignorantia ec.

Q. 3. *Quotuplex sit Religio? Quae ejus partes? Quodve illius objectum?*

R. Una est quoad *substantiam*; quia unus est Deus colendus. At quoad *modum* duplex est; *Naturalis* idest cultus a ratione dictatus; *Supernaturalis* idest cultus a revelatione patefactus. Partes duae sunt; *theoretica* idest pura Dei cognitio; *practica* idest purus Dei cultus. *Objectum* est Deus ipse cognoscendus, et colendus.

Q. 4. *An ante, vel post Adae lapsum sufficiens sit Naturalis Religio?*

R. *Antea* sufficiens erat; quia tunc clara ratio rectam dictabat Religionem. *Postea* vero insufficiens evasit; quia obscurata lapsu ratio non semper verum, et bonum dictat; nec modum ostendit, quo Deo reconcilietur homo: nam hic modus a Deo pendet, qui sic, vel sic se placari velit.

Q. 5. *An fuerit necessaria; et existat Revelata Religio?*

R. Ad I. Affirm. Nam necessaria est aliqua Religio, ut supra *Q.* 1. Atqui *Naturalis* est insufficiens post lapsum, ut *Q.* 4. Ergo *Revelata* necessaria est. Ad II. Affirm. Nam etiam post la-

psum *vult Deus omnes salvos fieri*, 1. Thim. 2. Ergo revelare debuit Religionem saluti necessariam: secus fictitia foret ejus voluntas.

Q. 6. *Quae sit Religio a Deo jam Revelata?*

R. Est sola Christiana Religio, quam profitetur Ecclesia Romano-Catholica. Nam illa Religio est a Deo revelata, quam Deus ipse miraculis approbat. Solam autem Religionem Romano-Catholicam sic Deus probavit. Haec igitur est a Deo revelata.

Q. 7. *Quibus miraculis probaverit Deus Religionem Romano-Catholicam?*

R. Tribus praesertim. I. Mira ejus propagatione. Nam nonnisi miraculo fieri potuit, ut Gentiles in Orbe Religionem reciperent eorum vitiis inimicam. II. Martyrum constantia. Nam nonnisi a Deo fieri potuit, ut innumeri omnis aetatis, sexus, et conditionis dira, et mortem pro Religione Romano-Catholica subirent. III. Medio infirmissimo. Nam nonnisi divinitus fieri potuit, ut rudes et pauci Piscatores Imperatorum conatus, ac Philosophorum sapientiam superarent.

Objic. I. Etiam mahumedana Religio mire fuit propagata. II. Martyres decipi potuerunt falsis miraculis. III. Apostoli magiis variis praevaluerunt. Ergo praefata documenta infirma sunt = R. Ad I. Nil mirum, ubi Religio carni favet. Ad II. Incredibile est, Martyres innumeros nunquam agnovisse miracula falsa. Ad III. Impossibile videtur, ut Reges, Sapientes, ac Populi vel nunquam agnoverint, vel semper magiis crediderint.

Q. 8. *Ubi jaceat doctrina Revelatae Religionis?*

R. In libris Veteris, ac Novi foederis; quos integros; ac Divinos credit Revelata Romano-Catholica Religio. Et quoniam praefati libri commen-

dant traditiones, et Ecclesiae Christi definitiones. Hinc tota Revelatae Religionis doctrina est in triplici Dei Verbo; *Scripto*, *Tradito*, *Definito*.

Q. 9. *Quid dicendum de diversis in Orbe Religionibus?*

R. Errant in Orbe Religiones *Gentilium*, *Judaeorum*, *Turcarum*, *Haereticorum*: at omnes falsae sunt. Nam Religio vera, et a Deo revelata est Religio Romano-Catholica, ut supra Q. 6. et 7. Atqui huic adversantur praefatae Religiones. Ergo falsae sunt: nam Deus non est Auctor contradictionis.

TRACTATUS VI.

DE DEO INCARNATO.

Agendum hic est I. De Natura, possibilitate, atque convenientia Incarnationis. II. De illius existentia. III. De Essentia. IV. De Causa, et necessitate V. De ejus termino. VI. De plenitudine temporis Christi.

CAP. I.

DE NATURA, POSSIBILITATE, CONVENIENTIA INCARNATIONIS.

Q. 1. *Quid sit Incarnatio; et qui eam negent?*

R. *Incarnatio* est unio Dei, et hominis in Verbi Persona. Eam negant tum Gentiles, quibus impossibilis; tum Judaei, quibus inconveniens videtur. At videndum, num sola ratione possibilitas pateat, et convenientia.

Q. 2. *An sola ratio possibilem ostendat Incarnationem?*

R. Affirmative. Nam possibile est, quod fieri non repugnat. Incarnatio fieri non repugnat. Ergo possibilis est. Prob Mi. Non repugnat ex parte duplicis naturae; quia sicut Animae natura naturae corporis; sic Natura Divina humanae uniri valet. Non repugnat ex parte unius Personae; quia haec ut infinita, valet esse in pluribus naturis. Nullimode igitur repugnat; et possibilis est.

Objic. Gentiles. I. Ubi nulla est proportio, nulla possibilitas est. Nulla porro inter Divinam, et humanam Naturam est proportio. II. In ipsis Christianorum libris Incarnatio vocatur *Mysterium absconditum a saeculis in Deo*; Coloss. 1. Ergo sola ratione non noscitur possibilis.

Resp. Ad I. Dist. Mi. Nulla est proportio *entitatis*, Conc. *Aptitudinis* ad unionem, Neg. — Ad II. Dist. Ant. Vocatur *Mysterium absconditum*, ut *Futura*; quia sic ratio non illam suspicatur; Conc. ut *possibilis*, Neg.

Q. *An sola ratio convenientem ostendat Incarnationem?*

R. Affirm. Nam conveniens est, quod Deo gloriam, et homini salutem affert. Id porro efficit Incarnatio: nam condigne compensat Dei offensam; ac perfecte hominem redimit. Ergo conveniens est.

Objic. Judaei. Inconveniens est, quod Dei majestatem obumbrat. Id efficit Incarnatio: nam Dei majestatem miseriis subjicit. Ergo inconveniens est. = R. Neg. Mi. Nam in Incarnatione non Divinitas, sed humanitas subjicitur miseriis.

CAP. II.

DE INCARNATIONIS EXISTENZIA.

Q. 1. *Quomodo Gentiles ad existentiam Incarnationis adduci possint?*

R. Quia Scripturas negant; I. Eis est probanda unius veri Dei existentia. II. Probandum, vera miracula nonnisi a vero Deo fieri. III. Probandum, Deum perfectissimum nonnisi verum confirmare miraculis. IV. Probandum, Deum innumeris confirmasse miraculis fidem Incarnationis.

Q. 2. *Quomodo Judaei ad existentiam Incarnationis adigi valeant?*

R. Praeter miracula, ut *sup. Tract. V. Cap.* 11. *Q.* 7., adigi possunt scripturis, et prophetiis Veteris foederis, quod ut Divinum habent, ut sequitur:

I. Ex vaticinio Jacobi Gen. 49. *Non auferetur sceptrum de Juda, et Dux donec veniat qui mittendus est.* Nam hic indicatur Messias venturus, ablato sceptro a Gente Judaica. Atqui jamdiu ablatum est. Ergo jamdiu Messias advenit; idest Divina Incarnatio facta est.

II. Ex vaticinio Danielis cap. 9. *Septuaginta hebdomades abbreviatae sunt, ut deleatur iniquitas, et adducatur justitia.* Nam hic indicatur Messias venturus post 70 hebdommades; quia ipse solus delere poterat iniquitatem, et adducere justitiam. Atqui hebdommades sunt annorum juxta omnes, et jamdiu transierunt. Ergo advenit Messias, et existit Incarnatio.

Q. 3. *Quis fuerit Messias, qui jamdiu advenit?*

R. Fuit Jesus Christus crucifixus. Nam I. Ante illius Natalem ablatum fuit sceptrum a Juda, et

collatum Herodi alienigenae. II. Ex Isaia, Michaea, et Psalmis Messias nasciturus erat ex Virgine in Bethlem; et inter sceleratos moriturus. Haec autem in Jesu Christo impleta sunt. Ergo etc.

Q. 4. *Quis sit Jesus Christus, qui creditur esse Messias?*

R. Est ipse Deus Homo factus. Nam de ipso Isa. 9. *Vocabitur Deus.* Et c. 35. *Deus ipse veniet.* Hinc vocatur *Homo-Deus*, vel *Deus-Homo.* Quod si Deut. 18. Moses de Messia dicat; *Prophetam sicut me suscitabit Dominus*; loquitur de Messia ut homo est sibi similis, non ut Deus est.

Objic. I. In vaticinio Jacobaeo vox *Sceptrum*, hebraice *Schevet*, significat *virgam.* Ergo Messias veniet, cum cessabit Judaeorum persecutio = R. Neg. Cons. Nam *Schevet* indicat virgam regiminis, et doloris. Ex contextu autem *et Dux* patet indicare virgam regiminis.

Objic. II. Annis 500. ante Jesum, Sceptrum ablatum fuerat a Tribu Juda, et semper postea fuit in aliis Tribubus. Ergo Jesus non est Messias promissus in ablatione Sceptri = R. Neg. Cons. Nam illis annis adhuc Sceptrum fuit *radicaliter* in Tribu Juda, quae Duces creabat, et *ministerialiter* in Tribubus aliis.

Objic. III. Juxta Danielem, in adventu Messiae delenda erat iniquitas, et adducenda justitia. Ab adventu autem Jesu crevit potius iniquitas. Ergo Jesus non est messias = R. Dist. Ma. Delenda erat *causaliter* per gratiam, Conc. *formaliter* per destructionem arbitrii, Neg.

CAP. III.

DE INCARNATIONIS ESSENTIA.

Incernatiouis Essentia consistit in unione *Hypostatica*, idest Divinae ac humanae naturae in sola Verbi Persona. Igitur agendum de Persona assumente, de Natura assumpta, de Unione Hypostatica. Ideo.

ART. I.

De Persona assumente.

Q. 1. *Quis negavarit unicam esse in Christo Personam?*

R. Nestorius Episcopus Constantinopolitanus, qui docuit in Christo esse sicuti duas naturas, sic et duas personas, ac duos Filios naturalem, et adoptivum. Hinc eruit 1. Verbum esse in Christo *Homine*, ut in templo, non ut in composito. II. Christum esse *Deiferum*, non *Deum*. III. Mariam esse *Christiparam*, non vero *Deiparam*.

Q. 2. *An in Christo sit sola Verbi Persona?*

R. Id est de fide. Nam Scriptura in Christo, tribuit Deo quae sunt hominis; et vicissim. Sic *Act.* 20. Deo tribuit sanguinem; *Ecclesia Dei, quam acquisivit sanguine suo.* Et *Rom.* 9. tribuit homini Dei naturam; *Christus secundum carnem, qui est Deus.* Id autem dici non posset, nisi una foret Persona, cui utraque sit natura.

Objic. I. Jo. 2. Christus de se ait Judaeis. *Solvite templum hoc.* Ergo Verbum est in Christo, ut in *templo*, non ut in *composito* = R. Neg. Cons. Nam Christus locutus est de solo corpore, quod

solum solvi morte poterat; non de composito utriusque naturae in Verbi Persona.

Objic. II. Verbum perfectam sumpsit humanitatem. Haec autem non est sine sui persona = R. Neg. Cons. Nam perfectio consistit in unione Animae cum corpore; non in resultatione personae, quae sola nihil est.

Q. 3. *An Christi Persona dici valeat* composita?

R. Negant Scotistae: quia Verbi Persona, et Christi simplicissima est. Affirmant Thomistae: quia Verbi Persona, in duabus naturis diversis, duplicem habet subsistendi modum: idque probavit Constantinopol. 11.

Q. 4. *An B. Virgo sit vere* Theotocos, *seu Deipara?*

R. Id est de fide. Nam Matt. 1. Maria genuit Christum; *De qua natus est Jesus, qui dicitur Christus.* Atqui Rom. 9 Christus dicitur *Super omnia Deus.* Ergo Maria Deipara est. Idipsum Concilia, praesertim Ephesinum. 1. Hinc tacite in Scripturis vocatur *Deipara.*

Objic. 1. Maria non genuit, nisi hominem. Ergo non est, nisi Mater hominis = R. Dist. Ant. Nisi hominem, sed in Persona Verbi Dei, Conc. Nisi hominem in Persona humana, Neg.

Objic. II. Mater est prior Filio. Maria non est prior Deo. Ergo non est Mater Dei = R. Dist. Mi. Non est prior, quoad Verbum in Divinitate, Conc. Quoad Verbum in humanitate, Neg.

Objic. III. Si Maria Foret Dei Mater; Anna esset Dei Avia. Hoc dici vetuit S. Congr. Ergo nec Maria dici valet Dei Mater = R. Dist. Mi. Dici vetuit, ne diceretur etiam Sacrus Spiritus S.; Conc. quia non est Avia Dei, Neg.

Q. 5. *An sola Verbi Persona Incarnata fuerit?*

R. Id est de fide. Nam Jo. 1. dicitur; *Verbum caro Factum est*: idest solum Verbum sumpsit, ac juri suo humanitatem determinavit. Hinc aliae Personae, ut inseparabiles a D. Natura, et sic a Verbi Persona, sunt in humanitate per *concomitantiam*, non per subsistentiam; adeoque sunt Personae Divinae Naturae, non vero humanae.

Q. 6. *An alia, quam Verbi Persona, incarnari potuerit?*

R. Ita est. Nihil obstat. Nam sicuti Verbum, sic et alia Persona satisfacere potuisset. Cur autem Persona Verbi, et non alia? Deus scit.

Q. 7. *An plures eamdem naturam; et una plures naturas sumere potuerit?*

R. Sic. Nam si sunt plures in eadem Natura D. etiam in humana esse valent. Et cum una Persona sit infinita, plures naturas assumere potest.

ART. 2.

De Natura assumpta.

Q. 1. *Qui fuerint circa naturam a Verbo assumptam errores?*

R. *Manichaei* tribuunt Christo corpus phantasticum. *Valentiniani* corpus caeleste, seu ex aere. *Ebionitae* maculatum ex coitu Josephi, et Mariae. *Ariani* corpus sine Anima, cujus vices Verbum gerat. *Apollinaristae* corpus, et Animam sine voluntate, cujus vices Verbi voluntas gerat: hinc monothelitae dicti sunt, ob unam voluntatem.

Q. 2. *An Verbum quamlibet naturam assumere potuisset?*

R. Certum est de *rationali*, sive humana, sive Angelica, sive novae creationis: nam in ea me-

reri, ac redimere potuisset. Falsum est autem de *irrationali*, ob oppositam rationem. At nonnisi humanam assumpsit; Hebr. 2. *Non Angelos, sed semen Abrahae apprehendit.*

Q. 3. *An verum, non phantasticum corpus Verbum assumpserit?*

R. Id est de fide. Nam verum corpus est, quod nascitur, patitur, moritur, resurgit, ec. Tale autem corpus Scriptura tribuit Christo: non vero corpus in sola phantasia depictum. Ergo sc.

Q. 4. *An Verbum non coeleste, sed humanum corpus assumpserit?*

R. Est id de fide. Nam Christus in Scripturis dicitur *factus ex muliere, Filius hominis.* Sic autem non diceretur, nisi assumpsisset corpus humanum. Hoc igitur sumpsit, non coeleste, seu ex aere compactum.

Objic. Christus II. Cor. 5. dicitur *Secundus homo de coelo caelestis.* Ergo Verbum coeleste corpus assumpsit = R. Neg. Cons. Nam dicitur *de coelo caelestis*, non ratione *corporis*, *sed Verbi* de coelo missi.

Q. 5. *An Verbum ex Maria corpus assumpserit?*

R. De Fide id est. Nam *Matt.* 1. Christus natus dicitur ex Maria: *De qua natus est Jesus.* Et in Symbolo; *Incarnatus est ex Maria Virgine.* Ergo.

Objic. Christus Jo. 2. Mariae dixit; *Quid mihi, et tibi mulier.* Ergo ut Matrem non agnovit = R. Neg. Cons. Nam non agnovit ut Matrem, in Divinitate, a qua faciendum erat miraculum; non in humanitate Verbo juncta.

Q. 6. *An Verbum Animam assumpserit mente praeditam?*

R. Ita est de fide. Nam *Jo.* 17. Christus ait,

Tristis est Anima mea. Ergo Animam assumpsit mente praeditam : nam tristitia est a mente dolorem percipiente. Non igitur vices ejus gerit Verbum tristitiae incapax.

Q. 7. *Quotuplex sit in Christo voluntas; et quotuplex operatio?*

R. Duplex voluntas; *Divina*, et *humana*. Nam *Luc.* 12. Patri ait Christus : *Non mea*, *sed tua voluntas fiat.* Ergo in Eo est voluntas *humana*, quae subjicitur ; et *Divina*, cui subjicitur. Hinc duplex quoque operatio : nam quaelibet facultas suam habet operationem.

Objic. I. Una est in Christo Persona operans. Ergo una voluntas , et operatio = R. Neg. Cons. Nam una Persona in duobus agit Naturis.

Objic. II. Voluntas humana saepe Divinae obstat. Ergo prior non est in Christo. = R. Dist. Ant. obstat in nobis, Conc. In Christo impeccabili, Neg.

Objic. III. Patres unam agnoscunt in Christo *virilem* operationem. Ergo una in eo est operans voluntas = R. Dist. Ant. Unam agnoscunt, unitate *consensus*, quia humana Divinae conformis, Conc. Unitate *naturae*, Neg.

Q. 8. *Quotuplicis generis sint operationes in Christo?*

R. Triplicis generis. *Divinae*, quae sunt a Divinitate, ut justificare. *Humanae*, quae sunt ab humanitate, ut orare. *Theandricae*, quae sunt ab utraque, ut visibiliter miracula patrare. At actiones in nobis necessariae, ut esurire, etc. ; in Christo dum ageret in terris liberae fuerunt, et ad nutum Verbi. Hinc Aug. in Joan. *Esurivit, quia voluit.*

Q. 9. *An Verbum corpus ex coitu maculatum assumpserit?*

R. Nequaquam, et est de fide. Nam Luc. 1. Angelus Mariae dixit. *Virtus Altissimi obumbrabit tibi*; idest *faecundabit*. Et in Symbolo, Dei Filius creditur *Incarnatus de Spirito Sancto*, *ex Maria Virgine*.

Q. 10. *An Maria fuerit Virgo ante partum, in partu, post partum?*

R. Sic est de fide. Nam primum, et alterum patet ex Isa. 7. *Ecce Virgo concipiet, et pariet*; quod *Matt.* 1. refertur ad Mariam, et Christum. Tertium liquet ex Martino 1. qui damnavit Elvidium asserentem Mariam ante Christum alios habuisse Filios ex Joseph. Totum definivit Constantinopol. III.

Objic. I. Christus Galat. 4. dicitur *factus ex muliere*. Mulier autem indicat corruptam, non Virginem. Ergo etc. = R. Neg. Mi. Nam ex Tertull. vox *mulier* indicat Virginem quoque.

Objic. II. De Joseph dicitur Matt. 1. *Non cognovit eam, donec peperit filium primogenitum.* Ergo post Christi partum cognovit, et alii fuerunt filii = R. Neg. Cons. Nam, ex quo non cognovit non sequitur postea cognovisse. Dicitur Christus *primogenitus*, quia non alios ante se habuit, non quia post se habuerit. Fratres ejus in Scripturis sunt consobrini, non uterini.

Q. 11. *An Christus omnes immediate assumpserit corporis partes?*

R. De carne, et sanguine fidei res est: nam carne attrita, et effuso sanguine perficienda redemptio erat. De aliis partibus an immediate, vel mediate, vana quaestio est.

Q. 12. *An Verbum semper humanitatem, prout assumpsit, retinuerit?*

R. Ita res est. Nam Theologorum axioma est:

Verbum, *quod semel assumpsit*, *numquam dimisit.* Hinc sanguis calumniae, spinis, ac terrae aspersus, vel auctus fuit, ac necessarium resumpsit; vel praecipuum tantum sesumpsit, et hunc numquam dimisit. Assumpsit autem ut esset alicubi; non vero ubique; quia ubiquitas solius Dei est.

Q. 13. *An corrupsibile fuerit Christi corpus?*

R. Corruptio, alia est *propria*, ut putredo; et non fuit in Christi corpore: nam Psal. 25., *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Alia est *impropria*; ut vulneratio; et fuit: nam Isa. 53. *Vulneratus est.* Erat Christus beatus, ob Divinam filiationem; sed beatitudo tempore passionis, miraculo ei suspensa fuit.

Q. 14. *An Verbum corporis defectus assumpserit?*

R. Defectus, alii sunt humanae conditioni *communes*, ut pati, ac mori; et hos assumpsit, ut redemptioni utiles. Alii sunt *speciales* ut morbi etc. et eos non assumpsit, quia sunt ab originali peccato, ac inutiles redemptioni.

Q. 15. *An Verbum Animae defectus assumpserit?*

R. Animae defectus sunt ignorantia, peccabilitas, etc., et hos non assumpsit; quia ei repugnant, ac redemptioni obstant. Assumpsit autem concupiscentiam rectam, rationi subjectam: nam *infrentuit* ad Lazari sepulchrum; et *flagello ejecit* de Templo vendentes etc.

Q. 16. *An Christus speciosi fuerit vultus?*

R. Ita est. Nam de eo dicitur Psal. 44. *Speciosus forma prae filiis hominem*: et idipsum Nicephorus se a Majoribus accepisse narrat. Hinc illud Isa. 44. *Non est ei species etc.* de Christo est in sua passione.

Art. 3.

De Unione Hypostatica.

Q. 1. *Quid sit Unio hypostatica; et quae illius proprietates?*

R. Est Unio Divinae, ac humanae naturae in Hypostasi Verbi. Ejus proprietates sunt I. *Supernaturalitas*: nam sola Dei vi fieri potuit II. *Substantialitas*; nam Verbum sua Divinitate humanitati jungitur. III. *Universalitas*: nam Verbum partes omnes humanitatis assumpsit. IV. *Indissolubilitas*; nam quod assumpsit, non dimisit.

Q. 2. *Ubinam fuerit Verbum in triduo mortis Christi?*

R. Ob praefatas proprietates, fuit cum Christi Anima in inferno; cum Christi corpore in sepulcro; cum Christi sanguine ubi fusum fuerat, idest in columna, terra, lancea, etc.

Q. 3. An ex unione naturarum mixtio, et tertia resultaverit?

R. Hic error fuit Eutychetis ab Ecclesia damnatus. Nam Christus in Scripturis, et *Deus* vocatur, et *Homo*. Ergo utraque in Eo distinguitur natura: secus nec Deus esset, nec Homo; sed alterius vocaretur naturae.

Objic. I. Ex quo *Jo.* 2., aqua dicitur facta vinum, creditur in vinum conversa. Ergo ex quo Jo. 1. Verbum dicitur caro factum, in carnem conversum credi debet = R. Neg. Cons. et Par. Nam aqua Dei virtute mutari valet in vinum; non vero Verbum in carnem.

Objic. II. Justinus Martyrapol. 2. docet, panem fieri Christi corpus in Eucharistia, sicuti

Verbum caro Factum est. Atqui panis vere convertitur in Christi corpus. Ergo vere quoque Verbum in carnem. = R. Dist. Ma. Justini paritas indicat *rei existentiam*, quatenus vere Verbum caro factum est; Conc. Indicat *modum existendi*, quo Verbum caro factum sit; Neg. Factum est autem caro non per conversionem Divinitatis, sed per assumptionem humanitatis.

Objic. III. Philip. 2. Verbum *semetipsum exinanivit*. Atqui exinanitio est conditionis mutatio. Ergo Verbum vere in carnem conversum est. = R. Dist. Ma. *Semetipsum exinanivit*, formam servi assumens, Conc. Suam naturam immutans, Neg. Ita subdit Apostolus *ibidem*.

Objic. IV. Plerique Patres Christum vocant *Mixturam Dei, et Hominis*. Atqui ex mixtura tertium aliquid resultat, uti ex mixtura mellis, ac farinae. Ergo idem de Verbo dicendum = R. Dist. Ma. Vocant *mixturam*, ob unionem indissolubilem, Conc. Ob commixtionem naturarum, Neg.

Q. 4. *Quid sit idioma in Theologia; quidve illius communicatio?*

R. Idioma est appellatio cujusvis naturae, vel proprietatis in Christo, ut *Deus*, *Homo*, *aeternus*, *factus*, etc. Communicatio idiomatum est attributio mutua nominum sive naturae, sive proprietatis in Christo; itaut quae Dei sunt Homini, et quae Hominis Deo tribuantur.

Q. 5. *An admittenda sit in Christo idiomatum communicatio?*

R. Maxime. Nam Act. 20. Nomen sanguinis tribuitur Deo; *Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo*. Et Rom. 9. Nomen Dei tribuitur homini; *Christus secundum carnem, qui est Deus*. Id porro ex eo profluit, quod una sit in Christo

Persona Verbi, cui naturae, ac proprietates tribuntur; non quod Divina sit Humana, et vicissim.

Objic. Felix III. Papa has Petri Fulloni theses damnavit: I. *Unus de Trinitate passus est.* II. *Unus de Trinitate mortuus est.* Ergo passio, et mors Verbo tribui nequeunt: nec in Christo idiomatum communicatio est. = R. Neg. Cons. Nam Papa non in sensu *obvio* damnavit; cum vere unus de Trinitate, idest Dei filius passus sit, et mortuus: sed in sensu Fullonis, qui docuit, in Incarnatione humanitatem a Divinitate fuisse absorptam, et in ea Verbum passum, ac mortuum fuisse.

Q. 6. *Quae sit generalis regula pro idiomatum communicatione?*

R. Haec est. Communicatio semper fiat *in concreto*: Hinc dici valet; *Homo est Deus*; et vicissim: nam sic sumitur Persona Verbi, quae est in duabus naturis. Numquam vero fiat *in abstracto*: Hinc dici nequit; *Humanitas est Divinitas*; et vicissim: nam sic sumitur natura, et una profecto non est alia.

Objic. Ex idiomatum communicatione sequuntur absurda. Nam argui posset: In Christo, Deus est Homo. Deus est aeternus, et ubique. Ergo etiam Homo = R. Dist. Ma. Deus est Homo, ut Verbi Persona, Conc. ut Verbi natura, Neg. Hinc Homo foret aeternus, et ubique; si foret Deus ratione naturae, Conc. Ratione Personae, Neg. Nam Persona Hominem sumpsit, ut esset alicubi, non ubique; quia ubiquitas Homni repugnat.

CAP. IV.

DE NECESSITATE, AC CAUSIS INCARNATIONIS.

Q. 1. *Quid, et quotuplex sit necessitas Incarnationis?*

R. *Necessitas* est debitum utendi medio ad finem. Duplex est: *absoluta*, idest usus medii, sine quo non habetur finis: et *secundum quid*, idest usus medii, sine quo imperfecte finis habetur. Finis Incarnationis esse valet vel Dei gloria, vel imperfecta redemptio, vel condigna satisfactio.

Q. 2. *Quomodo necessaria fuerit Incarnatio pro Dei gloria?*

R. Necessaria fuit, *non absolute*; quia sine illa Deus erat infinite gloriosus; sed *secundum quid*; quia per Incarnazionem magis manifestantur Dei potentia, sapientia, bonitas. Haec manifestatio melius quam coeli, Dei gloriam enarrat.

Q. 3. *Quomodo necessaria fuerit Incarnatio pro imperfecta redemptione?*

R. Non *absolute*; quia poterat Deus, vel non redimere, vel juri suo cedere, vel per aliquam creaturam. Hinc Aug. lib. de agon. christ. *Stulti dicunt; non poterat aliter liberare.* Igitur necessaria fuit *secundum quid*, idest ad melius redimendum.

Q. 4. *Quomodo necessaria fuerit Incarnatio pro condigna satisfactione?*

R. *Absolute* necessaria fuit. Nam satisfactio condigna est, quae compensat infinitam Dei offensam. Id autem fieri nequit sine Divina Incarnatione, qua Verbi Persona infinite dignificet satisfactionem. Hinc Leo M. Ser. 1. Nativ. *Nisi esset Deus non afferret remedium.*

Objic. *Tantum Deo placet charitas, quantum displicet iniquitas.* Ergo sine Incarnatione, potuisset homo per charitatem condigne satisfacere. = R. Neg. Ant. Nam charitas hominis est finita, et Dei offensa infinita: hinc plus Deo displicet iniquitas, quam charitas placeat.

Q. 5. *Quotuplex fuerit causa Incarnationis?*

R. Duplex *Efficiens* idest tota Trinitas: nam opera *ad extra sunt* Trinitati communia, quia in ea una est operans natura. Et *finalis* idest redemptio, supposito peccato: dicitur *supposito peccato*; nam secus causa finalis fuisset sola Dei gloria ut infra Q. 8.

Q. 6. *An aliqua fuerit causa Incarnationis meritoria?*

R. Nulla fuit. Nam meritum est a gratia Incarnationis. Ergo Incarnatio prior est, et causa meriti; non e contra. Hinc, nec Christi Humanitas unionem Hypostaticam; nec B. Virgo Divinam Maternitatem; nec Patriarchae aliquo modo illam meruerunt, utpote anteriorem omni merito.

Objic. Theologi plerique; si non *quoad substantiam*; idest ut fieret Incarnatio; saltem *quoad circumstantias*, idest ut tali tempore, Natione, Matre, ec. Fieret; B. Virgo, Patriarchae non *de condigno*, sed *de congruo*, mereri potuerunt = R. Neg. Nam Incarnatio decreta fuit tali tempore, Natione, Matre, priusquam existeret meritum.

Q. 7. *Ob omnia peccata ne, an ob solum originale Incarnatio decreta fuerit?*

R. Ob omnia peccata. Nam Matt. 1. de Christo dicitur; *Salvum faciet populum suum a peccatis eorum*; non vero *a peccato*. At praesertim ob originale, utpote initium, et causa omnis peccati. Hinc si extitisset originale sine aliis, adhuc Incarnatio facta fuisset.

Q. 8. *An si Ada non peccesset, adhuc Incarnatio facta fuisset?*

R. Negant Thomistae. Scotistae jure affirmant: Nam. Coloss. 2. Christus vocatur *Primogenitus omnis creaturae*. Ergo in ideis Dei aeternis, ac decretis primo est Christus, deinde Angeli; de-

nique Ada ejusque lapsus: adeoque, adhuc Ada non peccante, Christus advenisset: secus frustra decretus fuisset ante Adam primogenitus.

Reponent. Christus dicitur *primogenitus*, non prout Homo, sed prout Deus est in Verbi Persona. Ergo prout Homo decretus fuit post praevisum Adae lapsum = R. Neg. Cons. Nam Christus concipi nequit sine Verbi Persona. Ergo prout Homo quoque prior fuit in ideis Dei aeternis, ac decretis: adeoque, Ada non peccante, adhuc Verbum caro factum fuisset, et advenisset Christus.

Objic. Io. 3. dicitur: *Misit Deus Filium suum, ut salvetur mundus*. Et Luc. 19. *Venit Filius hominis salvum facere quod perierat*. Ergo nisi Genus humanum Adae lapsu periisset, ac foret salvandum; nec Deus misisset Filium suum; nec Christus Filius hominis advenisset. Hinc passim Scriptura nonnisi *redemptionem*, ut causam Incarnationis exhibet.

Resp. Dist. Cons. Nec Deus misisset; nec Filius hominis advenisset; ut *passibilem*. Conc. Ut *impassibilem*, Neg Nam supposito Adae lapsu, Christus decretus fuit ut *passibilis*. Illo lapsu secluso adhuc Christus advenisset *impassibilis* pro Dei gloria, et suorum in terris amicorum solatio, utpote decretus *omnis creaturae primogenitus*.

CAP. V.

DE TERMINO INCARNATIONIS.

Terminus Incarnationis est mirabile compositum, quod ex Hypostatica Unione resultavit, idest Christus *Homo-Deus*. Ejus dona, merita, titulos, officia sunt hic investiganda. Ideo

ART. I.

De Christi Donis.

Q. 1. *Quae sint Christi dona; et quo sensu ei elargita?*

R. Praecipua sunt *Scientia*, *Gratia*, *Sanctitas*, *Impeccantia*. Elargita illi fuerunt prout Homo est, seu Ejus Humanitati Verbo conjunctae.

Q. 2. *An Christus veram habuerit scientiam; et quotuplicem?*

R. Habuit. Nam Coloss. 2. *In quo sunt thesauri omnes sapientiae, ac scientiae Dei.* Habuit finito modo; quia ut Homo incapax est infinitae. Duplex fuit: *beatifica*, qua omnia in Divina Essentia novit: et *infusa*, qua omnia in seipsis. Utraque illi jure fuit; quia etiam ut *Homo*, filius Dei naturalis est, ratione unius Personae Verbi.

Q. 3. *An Christus scientiam habuerit a seipso accquisitam?*

R. Plerique affirmant; quia usum habuit rationis, ac sensuum, quo accquiritur scientia. Alii negant; quia dedecet Verbum scientia paulatim accquisita. Hinc si Luc. 2. *Jesus proficiebat scientia, et aetate*: sensus est; *manifestabat scientiam juxta proficientem aetatem.*

Q. 4. *An habuerit Christus gratiae plenitudinem; et quotuplicem?*

R. Habuit. Nam Jo. 1. Dicitur *plenus gratiae*. Plenitudo haec non fuit infinita; sed quantum capax ut Homo fuit. Duplex fuit gratia; *habitualis*, ut Dei amicus, non ut filius *adoptivus*; quia est filius *naturalis*. *Actualis*, qua ut Homo merebatur, et ut Verbum meritum elevabat ad infinitum.

Gratis-data, idest gratia prophetiae, miraculorum, ec.

Q. 5. *An Christus a sui conceptione sanctitatem habuerit; et quotuplicem?*

R. Habuit. Nam Luc. 1. Mariae dictum fuerat; *Quod nascetur ex te sanctum.* Maxima fuit, sed finita quantum ut Homo capax fuit, itaut nunquam creverit. Duplex fuit: *Substantialis*, idest ipsa Verbi sanctitas extrinsecus inhaerens: et *accidentalis*, intrinsecus sanctificans. An *accidentalis* distincta fuerit a *substantiali*; an ipsa Verbi Sanctitas finito modo Humanitati elargita; quaestio est.

Q. 6. *An impeccabilis fuerit Christus; et unde oriebatur impeccantia?*

R. Impeccabilis fuit. Nam etiam ut Homo est ipsa impeccabilis Verbi Persona. Et 1. Cor. 1. *Qui peccatum non noverat.* Hinc nec habuit peccati fomitem, qui ab originali profluit. Oriebatur impeccantia, non ab Humanitate seorsim sumpta, quae ut creatura peccabilis fuit; sed ab Unione Hypostatica, qua Humanitas Deus est.

ART. 2.

De Christi meritis.

Q. 1. *Cum ad meritum requiratur libertas; fuitne liber Christus?*

R. Fuit. Nam Isa. 23. *Oblatus est, quia ipse voluit.* Liber porro fuit a necessitate agendi: nam haec libertas ad meritum requiritur; *Innoc. X. contra Jansen.* Christi libertas fuit *contradictionis*, seu ad agendum, vel non agendum; non vero *contrarietatis*, idest ad agendum etiam malum.

Objic. Christus ut Persona Divina, et Dei filius naturalis fruebatur amore beatifico, qui necessarius est. Ergo non fuit liber a necessitate amandi Deum = R. Neg. Cons. Nam Christus in terris fuit Viator, et Comprehensor: adeoque duplex illius amor liber, ac necessarius.

Q. 2. *Quomodo potuerit Christus esse liber, et impeccabilis?*

R. Difficillima quaestio! Nam, si ut liber potuit omittere praecepta; quomodo impeccabilis? Et si non potuit ut impeccabilis omittere; quomodo liber fuit? At communiter Theologi docent, Christum fuisse liberum non quoad *substantiam* praeceptorum, idest ea servandi, vel omittendi; sed quoad *modum* servandi, idest perfectius, vel minus perfecte.

Objic. Christus Jo. 10. ait: *Hoc mandatum* (moriendi) *accepi a Patre meo.* Atqui in hoc non datur *perfectius*, ac *minus perfecte*; quia nemo magis, et minus moritur. Ergo, vel debuit Christus servare moriendi praeceptum; et liber non fuit: vel potuit omittere, et non fuit impeccabilis.

Resp. Dist. Mi. Non datur quoad *substantiam*, idest moriendi, vel non, Conc. Quoad *modum*, idest magis, vel minus sponte, Neg. Quidam ajunt, datam fuisse Christo facultatem petendi dispensationem a praecepto moriendi, quam libere noluit petere.

Q. 3. *An de fide sit*, *Christum vere meruisse?*

R. Ita est. Nam Philip. 2. *Humiliavit semetipsum*; *propter quod Deus exaltavit illum*: ubi verba *propter quod* indicant meritum, quod est *Opus mercede dignum*. Idipsum *Trid. ses.* 6.

Q. 4. *Quid*, *et pro quibus meruerit Christus?*

R. Sibi meruit extrinsecam exaltationem; et quidem remuneratorie ob meritum: nam intrinsecam et beatificam jure habuit; quia filius Dei naturalis etiam ut homo, utpote Persona Divina. Nobis vero meruit gratiam, et gloriam, ex *Trid. Ses.* 6; et quidem gratuite.

Q. 5. *Quando, et quomodo meruerit Christus?*

R. Meruit a sui conceptione: nam Hebr. 10. *Ingrediens mundum dixi; Venio, ut faciam voluntatem tuam Deus.* At post mortem non amplius meruit; quia non amplius Viator. Meruit per actus liberos. *Interpellat pro nobis apud Patrem*, non ut mereatur, sed ut nobis Pater tribuat, quod ipse jam meruit agens in terris.

ART. 3.

De Christi Titulis.

Q. 1. *Qui sint Christi Tituli ex Scripturis, et Patribus?*

R. Praecipui sunt; *filius Dei*; *Sacerdos*; *Pontifex*; *Praedestinatus*; *Rex*; *Judex*; *Caput*; *Redemptor*; *Mediator*. De duobus postremis *art. IV.*

Q. 2. *Quo sensu sit Christus Dei filius?*

R. Etiam ut Homo est filius Dei *naturalis*, non *adoptivus*; idque ob unicam verbi Personam. Nam Rom. 8. *Qui* (Pater) *proprio filio suo non pepercit.* Si proprius; ergo naturalis; quia filiatio convenit Personae, non Naturae: ideoque Maria est Mater Dei.

Q. 3. *An Christus sit Sacerdos, et Pontifex; et quo sensu?*

R. Ita est. Nam Psal. 109. *Tu es Sacerdos in aeternum.* Et Hebr. 4. *Habemus Pontificem ma-*

gnum. Sic porro est, non ut Deus, quia non habet superiorem, cui offerat; sed ut Homo est.

Q. 4. *Quotuplex sit Christi Sacerdotium, quoad suos effectus?*

R. Quodruplex. *Latreuticum*, ad Deum colendum. *Eucharisticum*, ad gratias agendum. *Propitiatorium*, ad Deum placandum. *Impetratorium* ad beneficia obtinendum. At ut *propitiatorium* et *impetratorium* cessabit in die judicii. Ut *Latreuticum*, et *Eucharisticum manebit in aeternum*; quia Deus semper est cultu, ac actione gratiarum dignus.

Q. 5. *An Christus sit Caput, Rex, Judex; et quo sensu?*

R. Est *Caput*; Ephes. 1. *Ipsum* (Pater) *dedit Caput super omnem Ecclesiam.* Est *Rex* nam Matt. 37. Ipse pilato ait: *Tu dicis, quia Rex sum.* Est *Judex*: nam Act. 10. vocatur *Judex vivorum, et mortuorum*, id est Electorum, ac reproborum. Sic porro est ut *Homo Deus*: et Regnum ejus est spirituale, idest Ecclesia, quam invisibiliter *per se*; visibiliter per Papam regit.

Q. 6. *An; et ad quid Christus fuerit praedestinatus; et quo sensu?*

R. Praedestinatus fuit, quia nihil fit in tempore quin fuerit ab aeterno decretum; et quidem ad Filiationem Divinam, Rom. 2. *Qui praedestinatus est Filius Dei*; et quidem ut Homo purus ad unionem hypostaticam.

ART. 4.

De Christi officiis.

Praecipua Christi officia sunt redemptio, satisfactio, mediatio, oratio, ideo:

Q. 1. *An Christus vere homines redemerit?*

R. Ita est de Fide. Nam vere redimit, qui vel semetipsum, vel pretium tradit. Christus autem et semetipsum tradidit, et pretium sui sanguinis juxta Scripturas. Hinc pessime decipiuntur Sociniani dicentes, Christum redemisse tantum veniam impetrando.

Q. 2. *An Christus omnes omnino redemerit homines?*

R. De fide sic est. Nam II. Cor. 5. *Omnes mortui sunt* (in Ada) *et pro omnibus mortuus est Christus.* Si pro omnibus, omnes redemit. Hinc desipiunt Novatores docentes, Christum mortuum esse; ac redemisse solos praedestinatos.

Q. 3. *An Christus condigne, seu omni rigore justitiae satisfecerit?*

R. Id est de fide. Nam ad hanc satisfactionem requiritur: 1. Ut Deus illam statuerit. 2. Ut filius libere acceptaverit. 3. Ut aequalis offensae fuerit. Haec autem fuerunt in Christo: nam Isa. 53. *Posuit in eo Deus iniquitatem omnium nostrum. Et oblatus est, quia ipse voluit.* Et ut Persona Divina compensat Dei offensam. Ergo ec.

Q. 4. *An Christus sit mediator; et quomodo?*

R. Est de fide. Nam 1. Thim. 2. *Mediator Dei, et hominum homo Christus Jesus.* Sic porro est media satisfactione, ac supplicatione. Hinc differt a mediatione Sanctorum, quae fit sola, et finita suppltcatione: Christus vero, et supplicat, et pretium offert infinitum.

Q. 5. *An Christus oraverit; oret adhuc; oretur a nobis; et quomodo?*

R. Utique. Nam Luc. 1. *Erat pernoctans in oratione.* Rom. 8. *Qui etiam interpellat pro nobis.* Et Ecclesia; *Christe filii Dei vivi, miserere*

nobis. Ex Augustino autem in Psal. 85. *Christus orat pro nobis ut Sacerdos: orat in nobis ut Caput: oratur a nobis ut Deus.*

Q. 6. *An Christus orans semper exaudiatur?*

R. Est de fide. Nam Jo. 11. ait: *Pater, scio quia semper me audis.* Et Hebr. 5. *Exauditus est pro sua reverentia*; idest suae Divinae Personae.

Objic. Christus Matt. 26. sic oravit: *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste.* Atqui calix non transivit. Ergo non semper exauditur = R. Dist. Mi. Non transivit, quia sciebat Pater Christum velle mori, Conc. Quia absolute noluit exaudire, Neg. Christus porro sic conditionate oravit, ut doceret nos semper orare sub conditione, *si expediat.*

Q. 7. *Quo sensu sit Christus Redemptor, Satisfactor, Mediator, Supplex?*

R. Non ut *Deus tantum*; quia sic Superiorem non habet, cui pretium, ac preces offerat. Nec ut *Homo tantum*; quia sic ejus opera non sunt condigna, et infiniti valoris, ut exigit Dei offensa. Igitur ut *Homo Deus*, quia sic, ut Homo agit; et ut Deus valorem actibus tribuit infinitum.

CAP. VI.

DE PLENITUDINE TEMPORIS CHRISTI.

Plenitudo temporis Christi tempus illud fuit, in quo *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis*; Jo. 1. In eo tempore notantur Christi conceptio, Natalis, vita, passio, et mors, ut sequitur.

Q. 1. *An legitimum fuerit Matrimonium inter Mariam, et Joseph?*

R. De fide sic fuit. Nam Matt. 1. *Cum esset*

desponsata Mater Jesu Maria Joseph. Non esset autem desponsata sine legitimo Matrimonio. Hinc in Evangeliis Joseph dicitur *Vir* Mariae, et Maria *Conjux*.

Objic. Maria erat voto castitatis obstricta; et opera Spiritus Sancti concepit. Ergo nec poterat inire Matrimonium, nec Ei matrimonium opus erat = R. Neg. Cons. Nam, et poterat inire; quia votum adversatur usui Matrimonii, non vinculo: et Matrimonio Ei opus erat, ne diceretur ex adulterio concepisse.

Q. 2. *Quomodo Christus conceptus fuerit?*

R. Est de Fide, quod opera Spiritus Sancti. Nam Luc. 1. Angelus Mariae dixit; *Virtus Altissimi obumarabit tibi*: et Maria respondit; *Fiat mihi secundum verbum tuum*; idest sicut mihi promittis. Blasphemant igitur Ebionitae dicentes, Christum ex coitu Josephi ac Mariae fuisse conceptum.

Q. 3. *Quando, et ubi natus fuerit Christus?*

R. Natus est die 25. Decembris: nam die 25. Martii conceptus fuit; ex Traditione. Natus est in Bethlem; *Matt.* 2.; et quoniam *Luc.* 2. Maria *Reclinavit eum in praesepio*, hinc eruitur in caula, seu stabulo fuisse natum.

Q. 4. *Quae mira in Christi Natali fuerint?*

R. Pie creduntur bos, et asinus in caula reperti, et inter eos Christus reclinatus, ex illo Isa. 1. *Cognavit bos possessorem suum, et asinus praesepe Domini sui*: licet id de fide non sit. Interim Christi Natalem Angelus pastoribus, et stella Magis nuntiavit; et venerunt. Probabilius Magi Reges erant.

Q. 5. *Quae fuerit ante Baptismum Christi vita?*

R. Post dies 8. ab ejus Natali fuit circumcisus;

et fortasse in ipso stabulo. Post 40. dies fuit in Templo praesentatus; et Parentes ut pauperes par turturum obtulerunt. Cum esset 12. annorum, disputavit cum Doctoribus in Templo. Et *crescebat aetate*, *sapientia*, *et gratia*; idest sic se exhibebat juxta aetatem.

Q. 6. *Quando Christus baptizatus fuerit*; *et quae post baptismum vita?*

R. Baptizatus a Joanne fuit, cum Luc. 3. *Ipse erat incipiens quasi annorum* 30. Praedicavit, et miracula patravit per annos tres circiter; quo tempore 12. elegit Apostolos. Ejus diffusa fama, Abgarus Toparcha, seu Praefectus Edessenorum fertur illi epistolam misisse, ac accepisse responsum.

Q. 7. *Quomodo Christus passus*, *et mortuus fuerit?*

R. Quo aetatis suae anno incertum est: at vulgo dicitur anno 33. Dies passionis, ac mortis fuit 25 martii, ut habent plura Martyrologia. Patres quoque ferunt, hominem conditum fuisse, ac redemptum eodem die, idest 25. martii.

Q. 8. *Quae fuerunt potissima in Christi passione?*

R. 1. Sudor sanguineus in horto. 2. Judae proditio ac venditio argenteis 30; quorum valor incertus est. 3. Flagellatio ut servus, idest sine determinato ictuum numero, et spinea in capite corona. 4. Iter ad calvarium, bajulata sibi cruce. 5. Impressio sui vultus in Veronicae velum.

Q. 9. *Quo die*, *ac hora*; *et quomodo crucifixus fuerit Christus?*

R. Crucifixus fuit die veneris, et hora sexta, idest in meridie. Hinc illud Evangelii; *Erat hora tertia*, *et crucifixerunt*, loquitur de crucifixione a Populo clamante petita; *Crucifige eum*. Proba-

biliter quatuor clavis fuit Cruci affixus, ut ex antiquis Imaginibus. Hora nona dixit; *Consumatum est*; opus scilicet salutis: *et inclinato capite, emisit spiritum*. Demum e suo latere, lancea perforato, *exivit aqua*, *et sanguis*.

APPENDIX.

DE CULTU CHRISTI, ET SANCTORUM.

Q. 1. *Quid, et quotuplex sit Cultus generatim sumptus?*

R. Cultus est *testificatio excellentiae alterius*. Duplex est: *Religiosus*, si excellentia sit supernaturalis: *Civilis*, si sit naturalis. Item *internus*, si lateat in corde: *externus*, si verbis, vel signis patefiat. Demum *absolutus*, si Personae tribuatur: *relativus*, si ejus Imagini, vel rebus exhibeatur.

Q. 2. *Quid, et quotuplex sit Cultus Religiosus?*

R. Et testificatio supernaturalis excellentiae alterius, v. g. Dei, Christi, Sanctorum. Triplex est: *Latriae*, si excellentia sit infinita: *Duliae*, si sit finita: *Hyperduliae*, si sit finita, et parem non habeat, ut excellentia B. V.

Q. 3. *An Cultus Religiosus fuerit oppugnatus?*

R. Excepto Cultu *Latriae* absoluto, omnis alius Cultus, tum *absolutus*, tum *relativus* etiam Dei, a diversis haereticis fuit impugnatus. Quinimo a Novatoribus Sanctorum etiam invocatio, ejusque utilitas omnino rejicitur.

Q. 4. *Quo Cultu adorabilis sit Christi Humanitas?*

R. Cultu *Latriae* absoluto. Nam ejus excellentia est infinita, ratione Verbi, quod caro factum

est. Hinc Constantinop. II. *Si quis non una adoratione Verbum Incarnatum adorat; anathema sit:* una scilicet adoratione tam Verbum, quam assumpta Humanitas.

Q. 5. *Quo Cultu adorabilis sit Christi vera Crux?*

R. Cultu *Latriae* relativo. Nam ob physicum Christi contactum; illum memorat, ac representat. Ergo eodem cultu, quo Christus adorabilis est, licet relativo; cum non sit ipse Christus. Sic etiam aliae Cruces, quae veram representant.

Objic. Si Cruces omnes adorabiles sunt, quia veram representant; etiam spinae omnes, clavi, lanceae ob eamdem rationem adoranda forent. Posterius est falsum. Ergo et prius = R. Neg. Par. Nam Crux quaevis ex praxi Ecclesiae determinata est ad veram Crucem representandam: non sic autem aliae spinae, clavi, lanceae ad res veras represeutandas determinatae sunt.

Q. 6. *Quo Cultu adorabiles sint B. Virgo, et Santi?*

R. Sancti omnes Cultu *Duliae*; Trid. Sess. 25. At B. Virgo Cultu *Hyperduliae*: nam sicuti Ejus excellentia parem non habet, sic et Ejus Cultus, qui *Hyperdulia* vocatur; ut distinguatur a *Dulia*, quae communis est caeteris Sanctis.

Objic. Deuter. 6. *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies.* Ergo Cultus B. Virginis, et Sanctorum illicitus est = R. Neg. Cons. Nam Scriptura loquitur de Cultu *Latriae*, qui Deo soli debetur. At non excludit *Duliam*, et *Hyperduliam*: nam et Sancti *communem*, et B. Virgo *specialem* habent supernaturalem excellentiam.

Q. 7. *An licitus sit Sacrarum Imaginum, et Reliquiarum Cultus, et qualis?*

R. De fide licitus est; ex *Trid. Ses.* 25. Nam ejusmodi Cultum miraculis probat Deus, uti Sacra refert, et Ecclesiastica historia. *Relativus* vero hic Cultus sit oportet: nam Imagines, ac Reliquiae non sunt ipsae Sanctorum Personae; sed eas representant dumtaxat.

Objic. Exod. 10. *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem.* Jo. 4. Deum in spiritu, et veritate oportet adorare. Concilium Eliberitanum; et Augustinus l. de fide; *Picturae in Ecclesia esse non debent.* Ergo reprobantur statuae, ac imagines.

Resp. Neg. Cons. Nam reprobantur *hypothetice*, ob periculum idòlatriae; non *absolute*, ut illicitae, ac inutiles. Hinc, et Hebraeis ad idolatriam pronis dictum est; *Non facies* etc. et tempore Augustini dici potuit, *Imagines esse non debent.*

Q. 8. *An licita sit, ac utilis Sanctorum invocatio?*

R. Maxime; Ex *Trid. Ses.* 25. Nam Machab. 25. dicitur; *Vidit Judas Oziam, et Jeremiam orantes pro Populo Deum eorum.* Non orassent autem, si foret illicita, vel inutilis Sanctorum invocatio, ut orent pro nobis.

Objic. 1. Thim. 1. 2. *Unus est mediator Dei, et hominum Homo Christus Jesus.* Ergo et superflui sunt, et Christo injuriosi alii mediatores = R. Neg. Cons. Nam Unus est *primarius*, idest qui meruit, quod postulat, Christus scilicet. At plures esse possunt *secundarii*, qui postulent, quod *primarius* meruit.

Objic. II. Christus ipse Matt. 6. ait. *Vos autem sic orabitis: Pater noster, qui es in coelis etc.* Si ergo solum Deum Patrem invocare, ac depre-

cari debemus, illicita est Sanctorum invocatio, nedum inutilis = R. Neg. Cons. Nam in invocatione Sanctorum, nonnisi Deum Patrem per Sanctos invocamus, qui utpote Dei familiares facilius, quod postulamus, obtinent.

Q. 9. *An singuli fideles invocare Sanctos teneantur?*

R. Nullum equidem est expressum praeceptum, quo debeant fideles invocare Sanctos. Nam Tridentinum *Ses.* 25. solum definivit, licitum esse *colere*, ac *invocare* Sanctos. Verum ex naturali praecepto tenemur; quia sic efficacius nostrae saluti consulimus: Sancti enim, utpote Dei familiares, valde nobis opitulari valent.

TRACTATUS VII.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

Quinq. absolvetur capitibus hicce Tractatus. I. De natura, et necessitate. II. De numero, et Auctore. III. De virtute, ac effectibus. IV. De materia, forma, Ministro. V. De Subjecto Sacramentorum. Itaque.

C A P. I.

DE NATURA, ET NECESSITATE SACRAM.

Q. 1. *Quid sit Sacramentum in genere?*

R. *Improprie* sumptum est occultum consilium, et arcanum juxta illud Sap. 2. *Nescierunt Sacramenta Dei.* At *proprie*; Est signum sensibile gratiae sanctificantis. Dicitur *sensibile*, idest alicui

sensui subjectum, sicuti est materia sensui visus, et forma sensui auditus.

Q. 2. *Quotuplex esse valeat sensibile Sacramentorum signum?*

R. Duplex *Speculativum*, quod significat tantum gratiam ab alio producendam; ut in Sacramentis Veteris legis: et *practicum*, quod producit etiam gratiam, ut in Sacramentis Novae legis; *inf. c.* 3. *Q.* 1. 2. Hinc Sacramentum Vetus erat, *Signum sensibile gratiae significativum.* Novum vero; *Signum sensibile gratiae productivum.*

Q. 3. *An Sacramenta semper extiterint?*

R. In statu *innocentiae*, probabilius negative; nam status ille non egebat medicinae Sacramentorum. In statu *legis naturae* aliquod fuit pro culpa originali: secus Deus defecisset in necessariis. In statu *legis scriptae*, praeter illud pro originali, plura fuerunt Sacrificia. In statu *Novae legis*, septem sunt, ut *inf. cap. II. Q.* 5.

Q. 4. *An Vetera Sacramenta vera fuerunt Sacramenta?*

R. Probabilius. Nam Florent. et Trid. illa simpliciter *Sacramenta* vocant. Deinde, sicuti Vetus vera fuit Ecclesia; sic et habuit vera Sacramenta. Nec obstat, quod gratiam non producebant: nam ad rationem Sacramenti satis est, ut gratiam significet.

Q. 5. *Quodnam fuerit in lege Naturae pro culpa orig. Sacramentum?*

R. Fuit quodcumque sensibile signum cum fide in venturum Messiam; v. g. oblatio parvulorum etc. Hinc si conferebatur ab infideli, non delebat originale. At, ratione adepta, credere poterant, ac salvari.

Q. 6. *Quodnam fuerit in lege scripta pro originali Sacramentum?*

R. Pro maribus 8. dies natis, ex consuetudine signum sensibile Circumcisio fuit cum fide in Messiam. Pro maribus vero ante 8. diem mori periclitantibus; pro feminis; pro omnibus in deserto, fuit ut in lege naturae.

Q. 7. *Quodnam sit in lege gratiae pro culpa originali Sacramentum?*

R. Omnino pro omnibus est baptismus aquae, licet ab infideli collatus cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia Dei, quaevis credatur talis. Nam in lege gratie, Sacramenta gratiam conferunt *ex opere operato*, idest ex Christi meritis sensibili signo alligatis.

Q. 8. *An Sacramenta necessaria fuerint?*

R. Negative, necessitate *institutionis*: nam potuisset Deus per seipsum facere, quod efficit per signa sensibilia. Affirmative necessitate *receptionis*: nam alia sunt necessitatis *medii*; alia *praecepti*; alia *in re*, alia *in voto*; ut patebit ubi de singulis.

CAP. II.

DE NUMERO, ET AUCTORE SACRAMENTORUM.

Q. 1. *Qui sit Sacramentorum numerus?*

R. Sacramentorum Veterum incertus est. Novae autem legis septenarius est. Nam I. Scriptura 7. exhibet signa sensibilia gratiae, ut ubi de singulis. II. Id docet Divina Traditio, ac definivit Tridentinum Ses. 7. Sunt autem *Baptismus*, *Confirmatio*, ec.

Objic. 1. Numerus septenarius in Scripturis non reperitur expressus. Ergo gratis statuitur = R. Neg. Cons. Nam *implicite* in scripturis, et *explicite* in Traditione ille munerus est.

Objic. 2. Etiam lotio pedum est signum sensibile gratiae productivum: nam verba *Si non lavero, non habebis partem meeum* gratiam indicant. Ergo plusquam 7. sunt Sacramenta = R. Neg. Aut. Nam verba illa *Non habebis*, non gratiam, sed penam aliquam innuunt.

Q. 2. *Quis fuerit Sacramentorum Auctor?*

R. Sacramentorum *Veterum* fuit ipse Deus, ut patet ex libris Mosis. Sacramentorum autem Novae legis Cristus fuit, ut vel ipsi fatentur haeretici; licet Novatores Baptismum tantum, et Eucharistiam recipiant. Idipsum definiit *Trid. Ses.* 7. At num omnia *immediate*; an aliqua *mediate* per Apostolos instituerit? controvertitur; et fidem non spectat.

Q. 3. *Qua ratione Christus fuerit Sacramentorum Auctor?*

R. Non *ut Deus* tantum; nec ut *Homo* tantum; sed ut *Homo Deus*; nam sic mereri potuit infinite, ac alligare gratiam signis sensibilibus. Hanc instituendi Sacramenta potestatem potuit Christus alteri delegare; sed noluit, ne in alium homo spem poneret, ut ait Augustinus.

Q. 4. *An Christus per se omnia instituerit Sacramenta?*

R. D. Bonav., Magister Sent; Alexander Ales docuerunt, Confirmationem, et Extremam Unctionem a Christo fuisse institutas *mediate* per Apostolos, ipso mandante: caetera quinque per se ipsum *immediate*. At Recentiores docent, omnia *immediate*; quod probabilius est: num. 1. Cor. 4. Apostoli vocantur *Dispensatores Misteriorum Dei*, non Auctores.

Objic. Jacob. 5. dicitur: *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros, ungentes oleo, et orent etc.*

Ergo Extremae Unctionis Sacramentum ab Apostolo Jacobo fuit institutum = R. Neg. Conf. Nam ex verbis illis eruitur Jacobum fuisse promulgatorem, non Auctorem.

CAP. III.

DE VIRTUTE, AC EFFECTIBUS SACRAMENTORUM.

Q. 1. *Quid, et quotuplex sit Sacramentorum virtus?*

R. Virtus est vis, et modus operandi. Quadruplex esse valet: ex *opere operato*, idest ex Christi meritis. Ex *opere operantis*, idest ex probitate Ministri, ac Subjecti. *Physice*, vi signi sensibilis. *Moraliter* movendo Deum ad gratiam elargiendam.

Q. 2. *Quomodo Sacramenta gratiam producant, ex opere operato ne, an ex opere operantis?*

R. Vetera ex *opere operantis*: nam Gal. 4. vocantur *infirma elementa*. Et Rom. 4. *Abrahae fides* reputata est ei ad justitiam. Nova vero ex *opere* operato, ut ex Traditione definivit *Trid. Sess.* 7. contra Donatistas, qui excludunt parvulos a baptismo, quia carent probitate.

Q. 3. *Quomodo Sacramenta gratiam producant, physice ne, an potius moraliter?*

R. Moraliter potius. Nam causae physicae operantur, dum existunt: Sacramenta vero etiam cum non existunt, ut patet in reviviscentia Sacramentorum, ubi gratia confertur, signo sensibili non amplius existente, ut infra Q. 7.

Objic. Si Sacramenta *moraliter* agerent, nec per se producerent gratiam: nec Sacerdos per se absolveret. Hoc falsum. Ergo physice agant = R. Neg.

Ma. Nam ut Sacramenta, et Sacerdos per se agere dicantur, sufficit ut per se Deum moveant; sicuti 1. Jo. 1. *Sanguis Christi emundat nostra delicta*, licet Deum moveat ut emundet.

Q. 4. *Qui sint Sacramentorum effectus; et quotuplex eorum causa?*

R. Effectus sunt 1. In omnibus gratia sanctificans, et gratia Sacramentalis. In Baptismo vero, Confirmatione, ac Ordine, etiam *Character*, ut infra. Eorum causa quadruplex: *Efficiens*, Deus: *Meritoria*, Christus: *Ministerialis*, Minister: *Instrumentalis*, ritus sensibilis.

Q. 5. *Quid, et quotuplex sit gratia sanctificans; quidve Sacramentalis?*

R. Gratia *sanctificans* est qualitas supernaturalis inhaerens Animae, qua homo fit justus, ac merendi capax. Duplex est; *prima*, idest infusa ubi non est; et *secunda*, seu aucta ubi est. Gratia vero *Sacramentalis* est Dei auxilium ad finem recepti Sacramenti assequendum.

Q. 6. *Quid et quotuplex sit character? An imprimatur in Sacramento indigne suscepto?*

R. *Character* est signum spirituale, ac indelebile Animae impressum, quo distinguitur homo ab aliis, qui carent illo. Triplex est; *Baptismi*, quo distinguitur ut Christi fidelis: *Confirmationis*, quo ut Christi miles: *Ordinis*; quo ut Christi Minister. Imprimitur in Sacramento indigne suscepto; quia stare valet cum peccato; non vero gratia.

Q. 7. *An triplex praefatus character fide constet? Et an maneat in perpetuum?*

R. Ad I. Fide constat: nam ex Traditione id definivit Tridentinum sess. 7. Ad II. Quidam ajunt perdurare usque ad mortem. At alii cum D. Thoma *p. 3. q. 63.* dicunt manere in perpetuum; in

Beatis quidem ad gloriam, in damnatis ad ignominiam.

Q. 8. *Quid sit reviviscentia Sacramentorum, et an reviviscant?*

R. Ad I. Est gratiae productio, quam obex in Sacramento impedivit, obice sublato: ut si quis indigne Sacramentum recipiat, et postea resipiscat, tunc Sacramentum illud reviviscens gratiam producit. Ad II. De omnibus Sacramentis, alii negant, affirmant alii: at alii cum D. Th. docent, Sacramenta Characteris *certe* reviviscere; Matrimonium, et Extremam Unctionem *probabiliter*; Poenitentiam, et Eucharistiam nullimode.

Q. 9. *An praefata D. Thomae sententia de reviviscentia sit plausibilis?*

R. Est. Nam I. Quoad Sacramenta characteris; cum ea semel recipi valeant, quis credet velle Deum, pro semper illorum gratia hominem privare? II. Quoad Matrimonium, et Extremam Unctionem; cum ea semel, vel aliquoties recipiantur, probabiliter saltem putandum est, nolle Deum illorum gratia in perpetuum privare. III. Quoad Poenitentiam; et Eucharistiam; cum ea quotidie recipi valeant; ob id non reviviscunt.

Q. 10. *Quae Sacramenta nequeunt iterari; et quare?*

R. Iterari nequeunt *Baptismus*, *Confirmatio*, et *Ordo*: et ratio non iterandi est indelebilis character, quem imprimunt. Sic Tridentinum definivit *Sess.* 7.; ut supra quoque dictum est, *Q.* 7. Hinc alia quinque Sacramenta iterantur, quia characterem non imprimunt.

Q. 11. *Quid sentiant Theologi de Baptismo ficte, vel indigne recepto?*

R. I. Ficte recipit, qui irrisorie, vel sine in-

tentione: indigne recipit, qui adultus cum affectu peccati actualis. II. Validus est Baptismus, characterem imprimit; adeoque iterari nequit, si constet legitima materia, forma, et intentione saltem exteriori, ut *infra cap. IV.*

Q. 12. *Quomodo remittantur peccata, tum ante, tum post Baptismum ficte, vel indigne receptum?*

R. I. Qui negant reviviscere baptismum, docent originale, ac actualia tum ante, tum post baptismum, sola Poenitentia remitti. II. Qui vero affirmant, docent originale, ac actualia ante baptismum eo reviviscente remitti; alia vero post baptismum, per Poenitentiam; ita ut ista et ille, ut duae causae partiales unam efficiant totalem gratiae dupliciter ramissivae.

Q. 13. *Quaenam ex praefatis sententiis plausibilior videatur?*

R. Sententia posterior, seu de Baptismi reviviscentia. Nam I. Haec Divi Thomae doctrina validioribus nititur argumentis, *ut sup. Q. 9.* II. Non *Poenitentia*, sed *Baptismus* pro culpa originali, et actualibus ante baptismum, directe institutus est. Sicuti non *Baptismus*, sed *Poenitentia* pro actualibus post baptismum, directe instituta est.

CAP. IV.

DE MATERIA, FORMA, ET MINISTRO SACR.

Q. 1. *Quid sint materia, et forma Sacramentorum?*

R. Sunt illud sensibile signum, quod constituit Sacramentum: nam *materia* est sensibilis sensui visus, et *forma* est sensibilis sensui auditus. Vo-

ces *materiae*, et *formae*, saeculo 13. a Theologis invectae sunt.

Q. 2. *An aliqua materiae, et formae mutatio irritet Sacramentum?*

R. Affirmative, si mutatio sit substantialis, ut mutatio unius in aliam materiam, unius in alium sensum verborum formae. Negative autem, si sit accidentalis, ut levis alteratio materiae, ac formae.

Q. 3. *An ipse Christus materiam, et formam in specie statuerit?*

R, Si per se immediate Sacramenta omnia instituit; sic per se quoque, ac in specie materiam statuit, ac formam; quia hae constituunt Sacramentum. Si vero aliqua instituit mediate per Apostolos, ipso mandante: sic et in genere materiam et formam per Apostolos statuit.

Q. 4. *An verba formae sint consecratoria; an concionalia, et promissoria?*

R. Novatores ajunt esse *concionalia*, quatenus indicant gratiam a Deo largiendam. Catholici vero fide credunt esse *consecratoria*, quatenus cum materia per se gratiam producant. Nam Sacramenta Nova gratiam conferunt *ex operato*, seu vi signi, cui Christus alligavit gratiam.

Q. 5. *An ipse Christus instituerit, et quos Ministros Sacramentorum?*

R. Ipse Christus instituit, et solos homines, exclusis Angelis, ac Foeminis. Nam 1. Cor. 4. soli homines Apostoli vocantur *Ministri Christi*; si Christi, ergo ipse constituit, et solos homines. Hinc blasphemat Lutherus dicens, etiam diabolum esse Ministrum Sacramentorum. At ex D. Th. p. 3. Q. 64. Angeli valent esse Ministri extraordinarii.

Q. 6. *An omnes homines sint Sacramentorum Ministri?*

R. Minime, et est de fide; ex *Trid. Sess. 7.* contra Lutharum: sed tantum qui per Ecclesiam *a Deo vocantur tamquam Aaron*; Hebr. 5. Excipiuntur Baptismus, et Matrimonium, ut ubi de singulis Sacramentis. At licet Christus sit Minister primarius, homo tamen active se habet ad gratiam producendam: secus Sacramenti efficacia non foret ex vi signi, cui alligata est gratia.

Q. 7. *An Sacramenti valor et efficacia pendeat a probitate Ministri?*

R. Minime, ut de fide definivit *Trid. Sess. 7.*, contra Donatistas. Nam Sacramentum est sensibile signum. Igitur, signo existente, Sacramentum cum sua efficacia existit, licet improbus sit Minister, et infidelis, modo fuerit legitime ordinatus, et characterem habeat.

Objic. Minister habeat oportet Spiritus Sancti gratiam: nam Episcopus in Ordinatione ait; *Accipe Spiritum Sanctum*: Ergo a probitate Ministri pendet valor, et efficacia Sacramenti. = R. Dist. Ant. Habeat oportet, sed habere sufficit quoad characterem, Conc. Secus Neg. Nam in charactere praesertim consistit essentia Ordinis; et ideo nequit iterari.

Q. 8. *An ad Sacramentum requiratur intentio Ministri, et quotuplex illa sit?*

R. De fide requiritur ex *Trid. Sess. 7.* est autem intentio sincera voluntas aliquid faciendi. Quadruplex est; *actualis*, seu presens volitio: *virtualis* seu praeterita, et non retractata volitio: *habitualis*, idest volitio sine advertentia: *interpretativa*, idest volitio habenda si peteretur. Prior est optima; altera est sufficiens; caeterae insufficientes.

Q. 9. *Quid sit exterior intentio; et an sufficiat ad Sacramentum?*

R. Est ritus serio praestitus animo nolente. Haec sufficere videtur. Nam I. Minister 11. Cor. 5. *Christo legatione fungitur.* Legatus autem, si serio agit, valet quod agit, licet animo nolit. II. Exterior intentio est actus imperatus. Ergo est a voluntate imperante, cujus nolitio tunc fictitia, et inefficax est. III. Si necessaria foret interior, quisque, a Papa ad Laicum, in eo quod fecit dicere posset, se non habuisse intentionem; sicque actum esset de Votis monasticis, de vinculo conjugali, Sacramentis omnibus: sufficit ergo exterior intentio.

Obji. I. Intentio est animus aliquid volens. Ergo non est in animo nolente. II. Alex. VIII. damnavit hanc Thesim: *Valet baptismus, si Minister ritum externum servet, et intus contradicat.* Ergo *non valet.*

R. Ad I. Neg. Cons. Nam non est nolens animus serio agens. Ad II. Dist. Ant. Damnavit in sensu jocoso, Conc. In sensu serio Nego. Nam secus haeretici forent Theologi, qui aliter docent.

CAP. V.

DE SUBJECTO SACRAMENTORUM.

Q. 1. *Quid sit Sacramentorum Subjectum?*

R. Est homo viator capax recipiendi Sacramenta. Nam ex Trid. per Sacramenta *Justitia vel incipit, vel augetur, vel reparatur.* Id autem fit in homine tantum viatore; quia justitia, nec in Beatis incipit, vel augetur; nec in damnatis reparatur.

Q. 2. *An in subjecto requiratur intentio ad valide recipienda Sacramenta?*

R. In pueris *minime*: nam valide recipiunt Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Or-

dinem, Extremam Unctionem sine intentione, cujus sunt incapaces: alia duo invalide defectu materiae, idest doloris in Poenitentia, et consensus in Matrimonio. In adultis vero *maxime*; ut supra de Ministro. *Q.* 4. *et* 5. hinc qui patefaciunt se nolle, invalide recipiunt. Sufficit autem exterior intentio, idest si serio quis sinat sibi applicari ritum sensibilem, licet ad id metu inducatur, ut de Baptismo statuit *Innoc. III.*

Q. 3. *Quid de illo, qui post invalidum Baptismum suscipit Ordines?*

R. Invalide quoque suscipit Ordines; quia Baptismus est omnium Sacramentorum janua. Hinc si *ignoranter* id acciderit defectu materiae, vel formae, ex *Nicaeno I. Can.* 19. est rebaptizandus, et reordinandus, licet Papatum susceperit. Si vero scienter fecerit, vel jocose, vel palam reluctans, melius foret si ad triremes, quam ad Ordines deputaretur, modo post validum deinde Baptismum, non aperuerit in Confessione crimen illud.

Q. 4. *Quid ad licite ministranda, vel recipienda Sacramenta requiratur?*

R. In Ministro, etiam Subdiacono si ex officio exercet, requiritur status gratiae, ac interior intentio, *ex D. Th: in 4. Dist:* 22. *Q.* 1. In Subjecto vero adulto, requiritur status gsatiae, ac interior intentio in Sacramentis *Vivorum*; *mortuorum* vero, in Baptismo praeter intentionem interiorem, requiritur dolor de peccatis, in Poenitentia autem, ad licite interior intentio requiritur; quia dolor ad materiam spectat.

Q. 5. *An mali Ministri peccent; et an gratiam conferant?*

R. Lethaliter peccant ex *D. Th: utsup. Q.* 6.

At conferunt gratiam, quia Sacramenti valor, et effectus non a fide pendet, ac probitate Ministri, sed ab ejus charactere; quo active concurrit ad gratiam producendam: secus ritus sensibilis non ageret ex opere operato.

Q. 6. *An liceat Sacramenta petere a malo, ac haeretico Ministro?*

R. Si sit vitandus, non licet: secus graviter peccaret petens, excepto Baptismo, ac Poenitentia in extrema necessitate. *Si toleratus* licite quis petit a solo suo Parocho, quia utitur jure suo.

Q. 7. *An peccet improbus Minister Concionator?*

R. Ex *D. Th: in* 4. *Dist*: 19. *q*: 2. Si publice Populo concionatur, semper peccat, sive publice, sive occulte sit improbus. Si vero private doceat ut Magister; tunc si sit publice improbus, peccat, non vero si occulte. Non definit autem S. D. gravitatem culpae; cujus doctrina nititur versiculo illo Psal: *Peccatori dicit Deus, quare tu enarras justitias meas; et assumis per os tuum Testamentum meum?*

TRACTATUS VIII.

DE SACRAMENTIS IN SPECIE.

Septem sunt in Nova Lege Sacramentorum species, idest; *Baptismus*, *Confirmatio*, *Eucharistia*, *Poenitentia*, *Extrema Unctio*, *Ordo*, *Matrimonium*. De singulis per totidem capita; nisi quod cum perpacua de Confirmatione, ac Extrema Unctione dicenda occurrant, hae duae species capiti uno subjicientur. Itaque.

CAP. I.

DE SACRAMENTO BAPTISMI.

I. Natura, materia, et Forma Baptismi. II. Minister, atque subjectum. III. Necessitas, ac effectus. Haec sunt hujus capitis argumenta.

ART. I.

De Natura, Materia, et Forma Baptismi.

Q. 1. *Quid, et quotuplex sit Baptismus?*

R. *Baptismus* graece, latine *Ablutio*; *est Sacramentum regenerationis per aquam in verbo.* Triplex est; *Fluminis, Flaminis, Sanguinis.* Prior fit ablutione corporis: posterior desiderio cordis: postremus veritate martyrii. Prior tantum est Sacramentum.

Q. 2. *An Baptismus aquae sit verum Sacramentum?*

R. Id est de fide definitum a *Trid. Sess. 7.* Nam est signum sensibile gratiae productivum, ex illo Jo. 3o. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto non potest introire in regnum Dei:* ubi *aqua* est signum sensibile, et *regnum Dei* gratiam indicat, qua intratur.

Q. 3. *A quo; et quando Baptismus fuerit institutus?*

R. A Christo; ex Trid. Sess. 7. nam nonnisi Deus homo alligare poterat aquae, ac verbo gratiam. Probabilius instituit ante suam passionem, ex illo Jo. 3. *Venit Jesus in terram Judaeam, et baptizabat*; sive per se, sive per Discipulos, quos

ipse antea baptizaverat. At num instituerit, cum fuit a *Joanne baptizatus*? num cum ait Nicodemo *Nisi quis renatus fuerit*: num cum ait Apostolis, *Euntes praedicate: baptizantes eos* etc. incertum est.

Q. 4. *Quae sit materia Baptismi?*

R. De fide est aqua naturalis, *ut sup. Q.* 2. Sic etiam Traditio, ac Trid. *sess.* 7. Sic autem est adhuc aqua, si ex materia alterius speciei suam non amittit speciem, ut in lixivio, vel jusculo parum spissato, seu denso. Hinc *Seleuciani*, qui statuunt ignem; *Jacobitae*, qui ferrum ignitum, quo frons signatur; *Flagellantes*, qui sanguinem flagellis effusum; *Luthaerus*, qui quemlibet liquorem, decipiuntur pessime.

Objic. Matth. 5. *Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto, et igne.* Ergo sicuti nomen Spiritus Sancti est forma; sic ignis materia baptismi = R. Neg. Cons. Nam ibi exprimitur effectus baptismi, idest gratia, et charitas Spiritus Sancti.

Q. 5. *Quotuplex sit materia baptismi, et quotuplex ablutio?*

R. Materia duplex est, *remota*, idest aqua; *proxima*, idest ablutio; et haec talis esse debet juxta communem ideam. Hinc si fiat in digito, vel capillis, non sufficit. Triplex est ablutio; per *immersionem*, *infusionem*, *aspersionem*; et quaevis sufficit, esto semel fiat. Trina immersio viguit ad saeculum usque 13: deinde trina infusio invecta fuit.

Q. 6. *Quae sit forma Baptismi?*

R. Magister sent: docuit valere baptismum *in nomine SS. Trinitatis*, non expressis Personis. At Patrum Traditio, et Ecclesiae praxis docet exprimendas esse, ac dicendum; in Nomine Patris, etc. Quae verborum mutatio sensum retinet, valo-

ri baptismi non adversatur: hinc valet forma Graecorum: *Baptizetur servus Dei* in nomine Patris etc.

Objic. Act. 8. *Baptizabantur in nomine Jesu.* Ergo id sufficit; nec est opus exprimere Divinas Personas = R. Neg. Cons. Nam, vel in exordio Ecclesiae dispensatum a Deo fuit, ad conciliandam Fidem in Jesum; vel verba *in Nomine Jesu* indicant baptismum a Jesu institutum, non vero illius formam.

ART. 2.

De Ministro, ac Subjecto Baptismi.

Q. 1. *Quis, et quotuplex sit Baptismi Minister?*

R. *Minister* est, qui baptismum ministrat, seu confert. *Ad valide* est quivis vir, aut mulier, etiam infidelis. *Ad licite* triplex est; *Ordinarius*, qui curam habet Animarum: *Delegatus*, est saltem Diaconus, qui licentiam habeat Ordinarii: *Necessitatis*, qui defectum supplet Ordinarii, et Delegati; at dignior praeferendus, ut vir mulieri excepto casu partus difficilis, ob pudorem.

Q. 2. *Quid sit Baptismi Subjectum?*

R, Est quivis homo, sive adultus, sive infans. Nam indefinite ait Christus: *Nisi quis renatus fuerit etc.* Quod ex Traditione quoque definivit Trid. sess. 7. Pessime igitur errant Anabaptistae, qui excludunt infantes, utpote Fidei incapaces.

Objic. Marc. ult. dicitur: *Qui crediderit, et baptizatus fuerit*: Infantes credere non valent: Ergo nec baptizari. Hinc Christus ipse baptizari voluit anno 3o. = R. Neg. Cons. Nam oraculum illud, et similia spectant adultos, quos Apostoli docebant, non infantes. Christus autem ideo cum voluit, baptizatus fuit, quia non indiguit.

Q. 3. *Quot occurrere valeant casus quoad Subjectum Baptismi?*

R. Plurimi, praesertim qui sequuntur, ac resolvuntur.

I. Omni deficiente Ministro, nemo seipsum baptizare valet; quia baptismus est regeneratio, et nemo seipsum generat. Sufficit tunc desiderium.

II. In casu necessitatis valet unus plures simul baptizare, sicut absolvere; quia valet unus plures simul generare.

III. Nequit unus a pluribus simul baptizari, quia unus est Christus principaliter baptizans, et unus ejus Minister; nec una generatio fit a pluribus simul.

IV. Nequit quis in utero matris baptizari, sed prius exire debet, vel extrahi, saltem quoad partem in necessitate, quia qui non nascitur, non renascitur.

V. Satyri, qui oriuntur vel a foemina brutali semine, vel a bestia virili coitu, baptizari non debent, quia homines non sunt.

VI. Monstrum a foemina virili semine natum, si habeat duo capita, vel pectora, sigillatim baptizentur; quia in illo sunt animae duae.

VII. Monstrum, si dubitetur, an sit homo, sub conditione: si dubitetur, an sint plures, unus absolute, alter sub conditione baptizandus.

VIII. Amentes, ac Obsessi, si nunquam habeant lucida intervalla, baptizentur ut infantes: secus si habeant, et baptizari nolint.

IX. Haereticorum filii, etiam invitis parentibus, baptizari valent; quia sunt Ecclesiae subditi eorum parentes ob baptismum.

X. Infidelium filii, si sint adulti, ac velint, baptizandi sunt invitis parentibus; si vero infantes alterutrius parentis consensus requiritur.

XI. Si Infideles sint mancipia, eorum infantes baptizari valent, etiam invitis parentibus: secus si sint famuli, civiliter tantum subjecti.

ART. 3.

De Necessitate, ac effectibus Baptismi.

Q. 1. *Quid sentiant Haeretici de necessitate Baptismi?*

R. Pelagiani absolute illam negant; quia negant originale peccatum. Novatores vero a baptismi necessitate baptizatorum filios excludunt, quos ajunt non contrahere originale, utpote deletum in parentibus baptizatis.

Q. 2. *Quid Catholici sentiant de necessitate baptismi?*

R. Gerson, aliique putant fieri posse, ut in casu impotentiae recipiendi baptismi, filii voto parentum salvi fiant. Cajetanus addit Gersonis placitum a Deo fuisse sancitum; quod Pius V. ab ejus opere jussit expungi. Communiter vero Catholici credunt baptismi necessitatem prout sequitur.

Q. 3. *Cujus necessitatis sit baptismus Fluminis?*

R. Necessitas, alia est *medii*, quae suppleri nequit; *praecepti* alia, quae suppletur, ut infra Q. 4. Nunc; praefatus baptismus in pueris semper, et in adultis extra casus impotentiae, est de necessitate *medii*, ex *Joan.* 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, non potest introire in regnum Dei* quod ex definivit *Trid. Ses.* 6.

Objic. Jo. 6. Illud *Nisi manducaveritis etc.*; non indicat necessitatem medii. Ergo nec etiam illud, *Nisi quis renatus etc.* = R. Neg. Cons. et

par. Nam necessitas non pendet ab illo *Nisi etc.* sed a qualitate gratiae, quae in baptismo est *prima*, et ideo necessitatis *medii*; in Eucharistia vero est *secunda*, ideoque necessitatis *praecepti*.

Q. 4. *An baptismus Fluminis in casu impotentiae suppleri valeat?*

R. In adultis suppletur baptismo tum *Flaminis*; nam Ezech. 18. *Si impius egerit poenitentiam, vita vivet*; in poenitentia autem est implicite baptismi votum: tum *Sanguinis*; nam Matth. 10. *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.* In infantibus vero suppletur solo baptismo *Sanguinis*: nam Ecclesia ut Sanctos colit Innocentes Martyres, etiam forte non circumcisos, nec ab originali mundatos.

Q. 5. *Quae dispositio requiratur ad singulos baptismos?*

R. In infantibus, ad baptismum *Fluminis*, et *Sanguinis*, nulla dispositio; quia incapaces. In adultis vero, ad quemvis baptismum requiruntur Fides, Spes, Charitas, ac dolor de peccatis actualibus, ex *Trid. sess.* 6. Porro baptismus *Fluminis*, et *Sanguinis* ex opere operato; *Flaminis* vero ex opere operantis agit, quia non est signum sensibile.

Q. 6. *Quinam sint singulorum baptismorum effectus?*

R. Baptismi *Fluminis* sunt gratia *prima*, *character*, *et jus ad alia Sacramenta.* Baptismi vero *Flaminis*, et *Sanguinis* est tantum *gratia prima*: hinc si quis hoc baptismo moriatur, et resurgat, debet baptismo *Fluminis* baptizari, ut alia Sacramenta recipere valeat.

CAP. II.

DE CONFIRMATIONE, AC EXTREMA-UNCTIONE.

Duo sint hujusce capitis articuli. I. De Sacramento Confirmationis. II. De Sacramento Extremae-Unctionis. Itaque.

ART. I.

De Sacramento Confirmationis.

Q. 1. *Quid sit Confirmatio, quis, et quomodo fuit illius Auctor?*

R. Confirmatio est Sacramentum, quo roborantur Fideles ad Fidem confitendam. Christus est ejus Auctor; et probabilius immediate, ut *supra Tract. VII. cap. II. q. 2. et 4.*

Q. 2. *An Confirmatio sit verum Sacramentum?*

R. Id est de Fide, ut ex Traditione definivit *Trid. sess. 7.* contra Novatores. Nam Act. 8. *Imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum*: adeoque signum sensibile gratiae productivum. At Apostoli non Confirmatione, sed privilegio acceperunt Spiritum Sanctum.

Q. 3. *Quae sit materia Confirmationis?*

R. Alii statuunt solam manuum impositionem ante Chrismatis unctionem. Alii utramque, quod probabilius est. Chrisma fit ex oleo, et balsamo ab Episcopo consecrando. An sufficiat solum oleum, et consecratio a simplici Sacerdote, controvertitur; et in casu est iteranda Confirmatio sub conditione, ut statuit *Innoc. III. cap. Pastoralis.*

Q. 4. *Quae sit forma Confirmationis?*

R. Alii statuunt Episcopi verba in manuum impositione. Alii etiam verba in unctione; si altera desit, sub conditione iteranda Confirmatio est, ut *sup. q.* 3. Unctio apud Latinos fit in fronte tantum cum hac forma: *Signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis in nomine Patris etc.* Apud Graecos fit in fronte, oculis, naribus, ore, auribus, pectore, manibus, pedibus, ac toties repetitur: *Signaculum doni Sancti Spiritus. Amen.*

Q. 5. *Quis sit Minister, quodque subjectum Confirmationis?*

R. De Fide Minister *Ordinarius* est Episcopus, *Trid. sess.* 7. At ex Papae dispensatione, *Extraordinarius* esse valet simplex Sacerdos, ut Greg. M. l. 3. epist. c. 36. concessit Presbyteris Sardiniae. Subjectum est Fidelis, etiam infantulus: at decentius Latini adultis conferunt, infantibus Graeci.

Q. 6. *Quae sit necessitas; qui effectus; quae dispositio Confirmationis?*

R. *Necessitas* est *praecepti* saltem in voto; quia non primam, sed secundam dat gratiam. *Effectus* sunt gratia *sanctificans*, gratia *sacramentalis*, et *character*; ut ex Traditione definivit Trid. sess. 7. *Dispositio*, in infantibus est status gratiae; in adultis, etiam intentio.

ART. 2.

De Sacramento Extremae-Unctionis.

Q. 1. *Quid sit Extrema-Unctio. Quis ejus Auctor; An Sacramentum sit?*

R. Est ritus conferens salutem animae, et corporis. De Fide Christus illam instituit, ex *Trid.*

sess. 7. et probabilius immediate, ut sup. c. 2. q. 4. Hinc Jacobus Apostolus promulgator fuit, ubi ait cap. 1. *Infirmatur quis etc.* Est verum Sacramentum, ex Trid. Ibidem: nam est signum sensibile gratiae productivum, ex illis verbis: *Si in peccatis sit, remittentur ei.*

Q. 2. *Quae sit materia; quaeve forma Extremae-Unctionis?*

R. De Fide materia est oleum olivarum, Jacob. 5. *Ungentes eum oleo.* Ab Episcopo benedici debet, vel de ejus licentia ab alio Sacerdote; *Trid, sess.* 14. Forma sunt verba, ut in Rituali; at de essentia haec tantum; *Per istam unctionem indulgeat tibi Dominus*; quae repetitur in singulis partibus; sed una est essentialis.

Q. 3. *Quis sit Minister Extremae-Unctionis?*

R. de Fide solus Sacerdos; Jacob. 5. *Inducat Presbyteros.* Ut licite, Parochus esse debet, vel alius Sacerdos de ejus licentia: secus graviter peccat; et Regularis incurrit etiam Excommunicationem Papalem, ex Clementina I.

Q. 4. *Quid sit subjectum Extremae-Unctionis?*

R. Est Fidelis adultus graviter infirmus, at non sensibus destitutus, licet in necessitate possit ei conferri. Amentibus, in partu laborantibus, navigantibus, bellum ingressuris, ultimo supplicio plectendis ministranda non est, ex *Conc. Mediolan.*

Q. 5. *Quae sit Extremae-Unctionis necessitas; qui effectus?*

R. Necessitas est *praecepti* divini, ex verbo imperativo Jacobi c. 5. *Inducat Presbyteros.* Effectus sunt I. Remissio venialium *per se*, ac mortalium *per accidens*, ut si confiteri nequeat, modo infirmum poeniteat; II. Gratia *Sacramentalis* ad pugnandum, et vincendum. III. Sanitas corporis, si expediat; ex Trid: sess: 14.

CAP. III.

DE SACRAMENTO EUCHARISTIAE.

Fide constat, Sacramenta non esse aequalis dignitatis; Trid. Sess. 7. contra Lathaerum. Prae omnibus diguius est Eucharistia, cum gratiae Auctorem contineat. Potissima quinque absolventur articulis, ut sequitur.

ART. I.

De natura, institutione, ac reali Christi praesentia.

Q. 1. *Quid sit Sacramentum Eucharistiae.*

R. *In fieri* est ritus, quo conficitur Christi corpus, et sanguis. *In facto esse* est Cristi corpus, et sanguinis sub speciebus panis, et vini. Hinc non constitit tantum in actu *transeunte* ritus, et usu simultaneo, ut alia Sacramenta; sed in re *permanente* post ritum; Trid. sess. 7. contra Novatores.

Q. 2. *An Eucharistia sit verum Sacramentum.*

R. Est de fide, ut ex Scripturis, ac traditione definivit Trid. Sess. 7. Nam est *signum sensibile* in ritu, ac speciebus; et *gratiae productivum*, ex illo Jo. *Qui manducat etc. habet vitam aeternam*, quae non habetur sine gratia.

Q. 3. *Quando fuerit institutum Eucharistiae Sacramentum?*

R. In ultima coena, quando Cristus *accepit panem*, *et ait*, *Hoc est corpus meum*; similiter calicem etc. 1. Cor. 2. et Matt. 26.

Q. 4. *In quo consistit essentialiter Eucharistiae Sacramentum?*

R. Non in solo Christi corpore, ac sanguine; quia non sunt signum sensibile. Non in solis speciebus; quia solae non producunt gratiam. Ergo simul in Christi corpore ac sanguine sub speciebus.

Q. 5. *An Christus vere sit ac realiter in Eucharistia?*

R. Est de fide ex Scripturis, ac traditione definitum a Trid. sess. 7. contra Calvinum, qui panem solum ut Christi *figuram* docebat. Nam Matt. 26 Christus de Eucharistia inquit; *Comedite; hoc est corpus meum; bibite, hic est sanguis meus.* Verba autem *est corpus*, *est sanguis*, omnes accipiunt pro veritate rei praesentis. Ergo Christus vere est etc.

Objic. 1. Verbum *est* saepe accipitur pro *significat*; ut Luc. 8. *Semen est verbum Dei.* Ergo ex verbis *hoc est*, et *hic est* non tuto eruitur realis Christi presentia = R. Neg. Cons. Nam tunc *est* sumitur pro *significat*, cum repugnat sensus proprius; uti repugnat, ut semen sit verbum; at non repugnat, ut panis fiat caro, etc.

Objic. 2. 1. Cor. 10. 2. *Patres nostri eamdem escam manducaverunt.* Atqui nonnisi Christi figuram manducaverunt. Ergo sic et nos = R. Dist. Maj. *Eamdem escam*, sed in solo signo; nos autem in rei veritate.

Objic. 3. Jo. 6 Christus ait de suo corpore; *Caro non prodest, verba, quae loquutus sum, veritas et vita sunt.* Ergo Christi corpus non realiter, sed spiritualiter sumitur = R. Dist. Cons. *Non realiter modo cruento*, ut putabant Capharnaitae, quos redarguit, Christus; Conc. Non *realiter modo incruento* ut credit Ecclesia, Neg.

Objic. 4. *Aug. in Psalm*: 98. e Christi persona inquit; *Non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis*. Ergo Christi corpus, nec cruento, nec incruento modo realiter sumitur = R. Neg. Cons: Nam Augustinus modum *cruentum* tantum, in sensu capharnaito negat, non *incruentum*.

Objic. 5. Ipse Aug: aliiq: Patres Eucharistiam vocant Christi *figuram*. Ergo nedum in sensu capharnaito, et cruento, sed in omni sensu realem Christi manducationem negant = R. Dist: Ant: Vocant *figuram* quoad species, Conc: Quoad corpus, et sanguinem sub speciebus, Neg. nam species corporis, et sanguinis sunt *figura*, quatenus sic separatim repraesentant Christum ut Agnum occisum.

ART. 2.

De transubstantiatione in Eucharistia.

Q. 1. *Quid sit transubstantiatio; et an ea fiat in Eucharistia conficienda?*

R. Est conversio substantiae panis, et vini, in substantiam Christi corporis, et sanguinis; manentibus speciebus tantum panis, et vini. De fide fit in Eucharistia conficienda. *Trid. sess.* 7. contra Luthaerum, qui docuit fieri solam *impananationem* seu Christi, et panis unionem. Nam Christus ait Matth. 20. *Hoc est corpus meum*; non vero *in hoc, sub hoc, cum hoc est*.

Objic. 1. Cum ait Christus; *Ego sum panis vitae* non convertit se in panem. Ergo ubi ait *hoc est corpus meum* non convertit panem in suum corpus = R. Neg. Cons. et par. Nam Christus fieri nequit panis; panis autem fieri valet Christi corpus: nam in priori casu etiam Christi anima, et Divinitas converteretur, quod repugnat.

Objic. 2. De vini dolio, recte dicitur *hoc est vinum*, quin sit. Ergo etiam de pane, dicere potuit Christus *hoc est corpus*, quin sit = R. Neg. Cons. et par. Nam in priori casu patet sumi unum pro alio: non in posteriori.

Objic. 3. Verba *hoc est* etc. vel cadunt in panem, et falsa sunt; vel in Christi corpus, et frustra dicuntur. Ergo non efficiunt corpus. = R. Nec in panem cadunt, nec in Christi corpus; sed cadendo efficiunt corpus.

Objic. 4. Nisi foret in Sacramento panis, deciperemur panem sentiendo = R. Neg. Sequel. Nam monet fides ibi esse sola panis accidentia.

Notanda.

I. In transubstantiatione, panis non annihilatur, sed convertitur; nam illius tesminus non est nihil, sed Christus, qui non creatur, quia jam est; sed vel reproducitur, vel e caelo adducitur.

II. Vi verborum, solum corpus ponitur, et sanguis solus; quia id solum exprimunt; *Hoc est corpus*, *et hic est sanguis*. Vi autem inseparabilis concomitantiae, totus Christus est sub alterutra specie.

III. Christus est totus in singulis speciei particulis, nedum post divisionem, ut definivit *Trid. sess.* 14. sed etiam ante ut docent Theologi: secus vel divideretur in divisione, vel foret in una tantum particula.

IV. Christus in Eucharistia non extenditur quoad locum, et circumscriptive, sed quoad scipsum, ac definitive; idest non totum in toto; ac pars in parte; sed totum in toto, ac parte; habet organa distincta ut homo perfectus.

V. Christus elicit in sacramento actus mentis, ac voluntatis; non vero actus organicos, ut videre, audire, odorari etc. nam organa non agunt sine locali estensione, qua caret Christus; hinc nec faetorem, nec aliud patitur.

VI. Christus est in Eucharistia, quamdiu species sunt incorruptae, seu retinent primogenium odorem, saporem etc. Dum vero corrumpuntur, Deus desinit conservare humanitatem, et corruptam creat materiam.

ART. 3.

De materia, et forma Eucharistiae.

Q. 1. *Quae sit Eucharistiae materia?*

R. Est panis triticeus, et vinum de vite juxta comunem sensum: nam *panem*, et *calicem* cum vino accepit Jesus: et idipsum faciendi potestatem dedit Apostolis, eorumq. Successoribus Sacerdotibus, dicens: *Hoc facite* etc. Idipsum ex Scripturis, et traditione *Trid. sess.* 7. Valida materia est panis tum azimus, tum fermentatus: at quisque sub gravi Ecclesiae suae ritum servare debet. Aqua modica vino miscenda est ex Ecclesiae praecepto, quae traditione didicit idipsum fecisse Christum.

Q. 2. *Cur Latini azimum, et Graeci fermentatum adhibent panem?*

R. Quia Latini credunt, Christum fecisse Pascha, cum urgebat usus azimi, idest exeunte luna 14. Graeci vero putant fecisse, cum adhuc usus fermentati perdurabat, idest exeunte luna 13 martii. Latini nituntur Matth. 26. Luc. 20. ubi dicitur Christus manducasse Pascha *primo die azimorum.*

Objic. Graeci. Jo. 13. dicitur Christus caenam anticipasse *ante diem festum Paschae*, cum vetitus erat azimi usus. Ergo non in azimo; sed in fermentato Eucharistiam instituit. = R. Neg. Cons. Nam cum tres Evangelistae testantur, Pascha celebratum *primo die azimorum*; dicendum est, *ante diem festum Paschae* paratum fuisse agnum, et postea manducatum, idest *primo die azimorum*, adeoque cum pane azimo.

Q. 3. *Quid erit de aqua vino mixta, dum conficitur Eucharistia?*

R. Alii volunt, aquam *mediate* converti, idest prius in vinum, et hoc in sanguinem. Alii putant *immediate* in sanguinem converti, id est quin prius convertatur in vinum. Posterius videtur probabilius; quia aquae natura vini mixtura non destruitur.

Q. 4. *Quae sit Eucharistiae forma?*

R. Vulgo docent Theologi formam essentialem esse tantum verba, *Hoc est corpus meum*, *et hic est sanguis meus*. At D. Th. docet, etiam verba *Novi*, *et aeterni* etc. essentialia esse. Vox enim est de gravi Ecclesiae praecepto.

Q. 5. *An de fide sit Christum adhibuisse praefatam formam?*

R. Non. Nam *Innoc.* 3. *lib.* 4. *de myst.* *Alt.*, putat, Christum consecrasse virtute divina. Nec de fide est, Christum statuisse praefata tantum verba; nam id neque ex Scripturis constat, nec aliquo Ecclesiae decreto; et plerique docent, etiam verba *Qui pridie* etc. et *simili modo*, etc. formam esse, cum ex his verbis incipiendum sit, detecto essentiali defectu materiae, vel formae.

ART. 4.

De Ministro, Subjecto, Necessitate, effectibus Euchar.

Q. 1. *Quis sit Minister Eucharistiae conficiendae?*

R. De fide solus Sacerdos, *Trid. sess.* 7. contra Lutharum dicentem esse quemlibet fidelem, et etiam diabolum ad valide tantum. Nam solis Apostolis Sacerdotibus ait Christus *hoc facite* etc. 1. Cor. 2. Hinc fideles omnes vocantur *Regale Sacerdotium*, quia fide offerunt cum Sacerdote.

Q. 2. *Quis sit Minister Eucharistiae distribuendae?*

R. *Ordinarius* est Sacerdos. *Delegatus* est Diaconus, olim de Parochi, nunc de Episcopi licentia. *Necessitatis*, olim tantum; ipsi laici, qui accipiebant, conservabant, sumebant, prout necessitas fidei confitendae coram tyrannis postulabat.

Q. 3. *Quid sit Subjectum Eucharistiae suscipiendae?*

R. Usque ad saeculum 12. etiam pueris sub specie vini, et adultis sub utraque specie. Deinceps vero Ecclesia omnibus vetuit usum calicis; et sub sola specie panis apud Graecos pueris, et adultis; apud Latinos adultis tantum Eucharistia ministratur.

Q. 4. *Cujus necessitatis sit Eucharistiae sumptio?*

R. Non necessitatis *medii*, quia non primam confert, sed secundam gratiam; sed praecepti; tum Divini *Nisi manducaveritis*, etc. tum Ecclesiastici ex Later. 4. idque si non in *re* ob impotentiam, saltem in *voto* explicito, vel implicito itaut quis monitus non recuset.

Q. 5. *Qui sint Eucharistiae effectus, et quae ad illam dispositio?*

R. Lutherus docuit esse *primam* gratiam: hinc ait: *Pessima dispositio est optima; et optima est pessima.* At effectus sunt; *gratia secunda*, *purgatio a venialibus*, *praeservatio a mortalibus*, *collatio pignoris gloriae.* Dispositio quoad animam, status gratiae; quoad corpus, a media nocte naturale jejunium.

APPENDIX.

DE SACRIFICIO MISSAE.

Q. 1. *Quid sit Missa, quidve Sacrificium?*

R. *Missa* est ritus, quo Eucharistia conficitur, offertur, sumitur; Sacrificium est oblatio rei sensibilis, per aliquam ejus destructionem a legitimo Ministro soli Deo facta, ad testandum ejus dominium. Hinc aliud opus bonum improprie dicitur *sacrificium*, ut Eccl. 25. *Qui facit misericordiam, offert sacrificium.*

Q. 2. *An Missa sit verum sacrificium?*

R. Est de fide *Trid. sess.* 22. Nam in ea sunt omnes Sacrificii conditiones. I. *Res sensibilis*, idest Christus sub speciebus. II. *Aliqua destructio*, idest Christus ut Agnus occisus, ob sanguinem positum a corpore separatum. III. *Legitimus Minister*, idest solus Sacerdos. IV. *Oblatio* soli Deo, idest Latriae cultus. V. Testificatio supremi dominii Dei; quia ob id offertur.

Q. 3. *Qui sint hostes sacrificii Missae?*

R. Novatores, qui solum agnoscunt sacrificium Crucis, ac rejiciunt sacrificium Missae. Nil mirum nam Lutherus L. de Abrog. Miss. fatetur, se a

diabolo didicisse Missam esse summam abominationem.

Objic. 1. Novatores Hebr. 9. *Christus una oblatione consumavit in aeternum.* Ergo aliud sacrificium superfluum est, et Christo injuriosum.

R. Neg. Cons. Nam Missa non est aliud sacrificium; sed idipsum crucis mystice repetitum, et applicatum.

Objic. 2. Luc. 22. Christus ait: *Hoc facite in meam commemorationem.* Ergo Missa non verum sacrificium, sed sola Christi memoria est. = R. Neg. Cons. Nam aliud est *hoc facite*, et aliud in *meam commemorationem*; idest fiat verum sacrificium, et eo memaretur sacrificium crucis.

Objic. 3. Sacrificium proprie mactatio est victimae. Atqui Christus in Missa non mactatur. Ergo Missa proprie sacrificium non est = R. Dist. Maj. Est mactatio tum cruenta, tum incruenta, Conc. cruenta tamtum. Neg. Christus porro vi verborum ponitur, ut agnus occisus, ubi ponitur corpus ejus a sanguine separatum.

Q. 4. *In quo essentia sacrificii Missae consistat?*

R. Alii dicunt in consecratione: Alii in sumptione: Alii in utraq. Prius probabilius est; tum quia mystica mactatio fit in consecratione, in qua ponitur sanguis separatim a corpore; tum quia de fide est Christum consecrasse, non vero sumpsisse. Hinc in die Parasceve illud *Suscipiat dominus sacrificium* etc. indicat sacrificium pridie factum.

Q. 5. *Quotuplex est Missae sacrificium ratione finis?*

R. Est quodruplex simul. *Latreuticum* ad Deum colendum. *Eucharisticum*, ad gratias Deo agendum. *Propitiatorium*, ad Deum placandum. *Impetratorium*, ad beneficia obtinendum, *Trid. sess.*

22. At fructus triplex est; *communis* pro omnibus; *specialis* pro quo offertur; specialissimus pro ipso Sacerdote: nam est infinitus, sed finite applicatur.

Q. 6. *Quotuplex est Missa ratione modi?*

R. Duplex; *solemnis* cum cantu; *Privata* secus. Utraque publica est etsi absint fideles; quia fit Ecclesiae nomine. At Luthaerus *solemnem* vocat, in qua communicant fideles; *privata*, in qua secus, et hanc damnat dicens Christum consecrasse, dedisse, ac dixisse *hoc facite etc.* Sed Ecclesia traditione novit, verba *hoc facite* referri ad solam consecrationem.

Q. 7. *Quotuplex sit offerens in Missae sacrificio?*

R. Triplex. *Principalis* Christus, qui seipsum Patri offert veluti agnum occisum. *Ministerialis*, Sacerdos qui e persona Christi, et in quo Christus dicit *hoc est* etc. secus falsum diceret. *Assistens* caetus fidelium: hinc pluraliter ait Sacerdos in Canone Missae; *Tibi offerimus* etc.

Q. 8. *An Sacerdos celebrare teneatur; et pro quibus?*

R. 1. *Simplex* Sacerdos Dominicis saltem, ac solemnioribus festis, juxta graviores Theologos. *Curatus* vero tam frequenter, ut suo debito satisfaciat, *Trid. sess.* 23. 2. Offerri valet Missa. I. Pro fidelibus vivis. II. Pro fidelibus Purgatorii. III. Pro infidelibus privata intentione. IV. Pro Beatis hoc in sensu, ut offeratur Deo, qui gratiam eis tribuit, et gloriam.

CAP. IV.

DE SACRAMENTO POENITENTIAE.

Poenitentia in lege nova sumitur ut *Virtus*, et ut *Sacramentum*; itaut nec ut virtus subsistit sine voto Sacramenti saltem implicito, nec ut Sacramentum sine virtute, de qua *infra art.* 3. Hic sermo erit de Sacramento Poenitentiae, prout ad Theologos speculatores spectat; et investigabitur. I. Illius natura, existentia, necessitas. II. Materia, et forma. III. Actus Poenitentis. IV. Minister, subjectum, effectus.

ART. I.

Natura, existentia necessitas Sacr. Poenitentiae.

Q. 1. *Quid sit Poenitentiae Sacramentum, et an iterari valeat?*

R. Est ritus divinitus institutus ad delenda peccata post baptismum. Christus instituit, cum post resurrectionem ait Discipulis Jo. 20. *Accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata.* II. Iterari valet: nam si Christus sine limitatione ait, *Quorum remiseritis* etc., nedum nova peccata, sed eadem quoque pluries remitti valent; *Trid. sess.* 14.

Q. 2. *Quid sentiant haeretici de Sacramento Poenitentiae?*

R. *Montanistae* omnino negant Sacramentum, et potestatem dimittendi peccata. *Novatiani* ajunt saltem graviora peccata non dimitti Sacramento Poenitentiae. *Novatores* docent, Poenitentiae Sacramentum non distingui a Baptismo fidei actu renovatum.

Q. 3. *Quid Catholici sentiant de Poenitentiae sacramento?*

R. Fide credunt. I. Esse in Ecclesia potestatem remittendi peccata; Jo. 20. *Quorum remiseritis peccata* etc. II. Nullum peccatum esse irremisibile; quia Christus indefinite ait *remiseritis peccata.* III. Peccata remitti sacramento Poenitentiae; quia secus nec peccata remittenda, nec remissio constaret. IV. Poenitentiae sacramentum a Baptismo distingui, ob diversam materiam, et formam. Omnia *Trid. sess.* 14.

Objic. 1. Haebr. 6. *Impossibile est, eos qui semel illuminati sunt, renovari ad poenitentiam.* Ergo praeter baptismum nec Poenitentiae sacramentum, nec potestas remittendi peccata est in Ecclesia = R. Neg. Cons. Nam Apostolus loquitur de renovatione per Baptismum; quia nequit iterari.

Objic. 2. Matth. 12. *Qui dixerit verbum in Spiritum S. non remittetur ei.* Ergo sunt quaedam peccata irremisibilia. = R. Neg. Cons. Nam Christus loquitur de difficiliori venia, ob defectum doloris, non potestatis: secus sibi contradiceret indefinite dicenti. *Quorum remiseritis peccata* etc.

Objic. 3. Luc. 3. de Joanne dicitur; *Praedicans baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum.* Ergo poenitentiae sacramentum, quo peccata remittuntur, non distinguitur a baptismo fidei actu renovato = R. N. Cons. Nam ibi sermo est de baptismo Joannis, qui eorum signum erat, qui destinebantur *ad Virtutem* poenitentiae, cum *sacramentum* nondum fuisset institutum.

Objic. 4. In Scripturis non leguntur Apostoli ministrasse Poenitentiae Sacramentum. Ergo Christus non illud instituit. = Neg. Cons. Nam non omnia, quae acta sunt, in Scripturis memorantur;

et sufficit dixisse, Christum Poenitentiae sacramentum instituisse.

Q. 4. *An necessarium; et cujus necessitatis sit Poenitentiae sacramentum?*

R. Est omnino necessarium, si non *in re* ob impotentiam, saltem in voto: nam Luc. 13. *Nisi poenitentiam egeritis peribitis.* Ejus necessitas est *medii* omnibus, qui post baptismum mortaliter peccant: nam huic sacramento alligavit Deus primam gratiam. *Trid. sess.* 15.

ART. 2.

De materia, et forma Sacram. Poenitentiae.

Q. 1. *Quid sit, et quae materia Sacramenti Poenitentiae.*

R. *Materia* duplex est; *remota*, idest peccata post baptismum; et *proxima*, de qua controvertitur. Nam Scotus docuit esse ipsam absolutionem, itaut *sonus* verborum sit materia proxima; et *sensus* sit forma. Alenses volunt esse manuum impositionem, dum forma dicitur. Thomistae dicunt esse actus Poenitentis; de quibus art. 3.

Q. 2. *Quaenam ex praefatis sententiis praevaluerit?*

R. Sententia Thomistarum: nam in Rituali Romano dicitur: *Proxima materia sunt actus Poenitentis.* At Trid. sess. 14. inquit; *Actus poenitentis sunt quasi materia*, ne videretur perstringere sententiam Scoti, et Alensis, ut supra. Nec dici valet; cordis contritio non est sensibilis; ergo non est materia: nam fit sensibilis per alios actus poenitentis.

Q. 3. *Quae sit forma Sacramenti Poenitentiae?*

R. Ex *Trid. sess.* 14. Est Sacerdotis absolutio ore prolata: hinc nulla est, si nutu, vel scripto tribuatur. Absolutionis verba sunt; *Ego te absolvo a peccatis tuis in nomine Patris etc.* Verba tantum *te absolvo* sunt de *valore*, alia de *honestate*, quia implicite in illis continentur. Valida est si verba non mutent sensum; nam Graeci ajunt; *Habeo te venia donatum.*

Q. 5. *Quotupliciter proferri valeat absolutionis forma?*

R. Tripliciter *indicative*, ut *te absolvo*; *imperative*, ut esto absolutus; *deprecative*, ut Domine tribue veniam. Indicativa est valida, et licita; imperativa, et deprecativa, est valida tantum.

Q. 5. *An in Sacramento Poenitentiae vere dimittantur peccata?*

R. Ita est de fide contra Novatores docentes non dimitti, sed declarari dimissa; Trid. sess. 14, Nam Jo. 20. Christus non dixit, *Quorum declaraveritis remissa*; sed *quorum remiseritis.* Hinc sensus verborum. *Ego te absolvo est*; *confero tibi gratiam remissivam*, et *sanctificativam.*

Q. 6. *An Poenitentiae Sacramentum fieri possit validum simul, et informe?*

R. Sacramentum validum, et informe dicitur, quod legitima materia, et forma constat, quin gratiam producat. Id fieri posse in aliis Sacramentis, cum in affectu peccati suscipiantur, certum est. In Poenitentia vero, si materia valida sit sonus verborum formae, vel manuum impositio, et recipiatur in affectu peccati, erit Sacramentum validum, et informe ut patet: secus vero si materia sint actus Poenitentis, ob defectum doloris.

ART. 3.

De actibus poenitentis.

Actus Poenitentis sunt *contritio*, *confessio*, *satisfactio*. Prior est necessitatis *medii in re*; posteriores *in voto* in casu impotentiae.

Contritio.

Q. 1. *Quid sit contritio, et quae conditiones ejus?*

R. Est animi dolor, ac detestatio peccati cum proposito non peccandi de caetero. Conditiones sunt. 1. Ut *sit supernaturalis*, idest a gratia excitata, et ob Deum offensum. 2. Ut sit *summa*, idest plusquam de alio quovis malo. 3. Ut sit *universalis*, idest de peccatis omnibus, nullo excepto. 4. *Fiducialis*, idest cum spe veniae.

Q. 2. *Quid, et quotuplex sit propositum, et quae conditiones ejus?*

R. Est determinata voluntas non amplius peccandi. Duplex est; *implicitum*, quod latet in ipsa contritione; *explicitum*, quod exprimitur. Prius sufficit in eo, qui non advertit; posterius melius est. Conditiones sunt, ut doloris; quibus addendum, ut sit *efficax*, idest ut adhibeantur media.

Q. 3. *Quotuplex sit contritio?*

R. Ex Trid. sess. 14. duplex est *perfecta*, quae proprie contritio est, et concipitur ex charitate perfecta in Deum: et *imperfecta*, quae attritio dici solet, et concipitur ex metu poenarum, vel peccati turpitudine, spem veniae includens, et peccandi voluntatem excludens.

Q. 4. *Quotuplex esse valeat attritio* ?

R. Duplex; *formidolosa*, quae concipitur ex solo metu poenarum; et *initialis amoris*, quae concipitur ex metu simul, et aliquo in Deum amore. Plerique ajunt sufficere priorem; Alii posteriorem requirunt, quod probabilius est: nam si Trid. vult, ut baptizandi Adulti Deum *diligere incipiunt*, idem dicendum de justicandis in sacramento Poenitentiae. Dicit equidem Tridentinum priorem attritionem *disponere*, at non dicit sufficere.

Q. 5. *Qui sint effectus contritionis; et qui attritionis* ?

R. Ex Trid. sess. 14. contritio justificat etiam extra Sacramentum, modo ejus votum includat. Attritio vero ante Sacramentum disponit ad justificationem, et in Sacramento justificat, ubi attritus fit contritus.

Confessio.

Q. 6. *Quid sit confessio sacramentalis* ?

R. Est accusatio peccatorum post Baptismum, facta legitimo Sacerdoti ad veniam obtinendam virtute clavium. Dicitur *virtute clavium*, seu vi sacramenti; quia post Christum hoc sacramento *in re*, vel *in voto* venia obtinetur. Haec confessio auricularis vocatur, idest ad aures confessarii.

Q. 7. *Quotuplex sit confessio ratione modi* ?

R. Duplex; *secreta*, seu a Confessario tantum audita; *publica*, idest ab aliis etiam. Ex *Trid. sess.* 14. Christus nec vetuit publicam; nec jussit; hinc alterutra valet. *Publica* de publicis peccatis viguit ad 9. saeculum non ut sacramentum, sed ut satisfactio; dum praemittebatur sacramentalis

secreta. Nunc est illicita sine gravi causa simul, et Episcopi licentia.

Q. 8. *Quid sentiant haeretici; quidve Catholici de auriculari Confessione?*

R. I. Novatores ajunt esse liberam, non necessariam: Wiglefistae inutilem esse contrito. Dallaeus Calvini discipulus statutam fuisse ab Inn. III. in Later. 4. II. Catholici fide credunt a Christo fuisse institutam, ac praeceptam Jo. 20. *Quorum remiseritis* etc.; et Trid. ut sup. Hinc Innoc. 3. non instituit, sed tantum statuit, ut saltem semel in anno fieret.

Satisfactio.

Q. 9. *Quid, et quotuplex sit sacramentalis satisfactio?*

R. Est opus paenale a Confessario injunctum ad compensandam Dei offensam. Si opus paenale sponte fiat, dicitur satisfactio non *sacramentalis.* Alterutra vel *privata* est, vel *publica*; et haec posterior est injungenda, quoties scandalum sit reparandum, juxta prudentiam Confessarii.

Q. 10. *Quotuplex olim fuerit satisfactio, seu paenitentia publica.*

R. Duplex; *communis* a simplici confessario Clericis, vel laicis injuncta ob crimina publica, et iterari poterat: et *solemnis* ab Episcopo laicis tantum ob graviora crimina etiam occulta, quae iterari non poterat; nec in ea scandali, vel infamiae periculum erat, quia etiam sponte fiebat ob humilitatem.

Q. 11. *Quid haeretici, quid Catholici sentiant de externa paenitentia?*

R. Haeretici eam spernunt, et injunctam a Confessario politicam vocant. Catholici vero credunt.

I. In peccato esse reatum *culpae*, quem odit Deus, et paenae quam exigit. II. Reatum culpae, ac *aeternae* paenae sacramento *in re*, vel *in voto* deleri; paenae vero temporalis opere paenali.

Q. 12. *An Sacramento justificatus possit condigne satisfacere?*

R. Aff. Nam Luc. 3. Christus ait; *facite fructus dignos paenitentiae*. Ergo digne satisfieri potest; cum Christus impossibilia non jubeat. Idipsum Trid. sess. 14. Certum porro est. I. Plus, vel minus detrahi de paena temporali pro qualitate contritionis. II. Plus detrahi opere a Confario injuncto, quam sponte suscepto, in paritate.

ART. 4.

De Ministro subjecto, Effectibus, Sacsam. Paenit.

Q. 1. *Quis sit Minister Sacramenti Paenitentiae?*

R. De fide solus Sacerdos: nam Apostolis Sacerdotibus ait Christus Jo. 20. *Quorum remiseritis* etc. Idipsum Trid. sess. 14. Pessime igitur falluntur Novatores dicentes esse quemvis fidelem, et magis laicum probum, quam improobum Sacerdotem. Hinc illud Jac. 5. *Confitemini alterutrum*, etc. indicat actum humilitatis, non sacramentalem Confessionem.

Q. 2. *Quid sit subjectum Sacramenti Paenitentiae?*

R. Est fidelis rationis capax; nam sicuti ad peccandum, sic ad confitendum et dolorem de peccatis concipiendum rationis usus requiritur; secus nulla foret confessio.

Q. 3. *Qui sint effectus Sacramenti Paenitentiae?*

R. Sunt I. Gratia sanctificans, Ezech. 18. *Si impius egerit paenitentiam vita vivet.* II. Gratia sacramentalis ad peccata vitanda. III. Reviviscentia meritorum, quae peccatum mortificaverat. Ezech. 33. *Impietas impii non ei nocebit, quocumque die conversus fuerit.* Noceret autem si merita non reviviscerent.

Q. 4. *An Sacramento Paetentiae merita reviviscant quoad omnes gradus?*

R. Negant Thomistae, dicentes, merita reviviscere juxta Paenitentiae fervorem. Affirmant Scotistae, ob parabolam Filii Prodigi quem Pater ad priorem statum restituit. Id probabilius est: nam peccatum subsequens nihil de meritis detrahit; sed tantum obstat ne rependantur: ergo obice sublato, integre merita redeunt ad mercedem.

CAP. V.

DE SACRAMENTO SACRI ORDINIS.

Duobus hocce caput absolvetur articulis. Quorum erit. I. De Ordine generatim. II. De singulis Ordinibus. Potiora tantum.

ART. I.

De Ordine generatim.

Q. 1. *Quid sit Ordo, quidve Ordinatio?*

R. *Ordo* est character, quo traditur spiritualis potestas. *Ordinatio* est ritus, quo imprimitur ille character. Unum sunt et idem sacramentum spectatum in *fieri*, seu prout ritus, et in *facto esse*,

seu prout character. Hinc promiscue sumuntur a Theologis.

Q. 2. *Quot sint ordines?*

R. Ex Trid. sess. 23. sunt septem: *Ostiariatus*, *Lectoratus*, *Exercistatus*, *Acolythatus*, *Subdiaconatus*, *Diaconatus*, *Presbyteratus*. Priores quatuor vocantur *minores*, ob inferiora officia; tres alii *majores* ob altiora ministeria. His Canonistae addunt Tonsuram, et Episcopatum, ut art. 2.

Q. 3. *An Ordo, sive ordinatio generatim sit sacramentum?*

R. De fide sic est. Hinc *Trid. sess.* 13. contra Novatores. *Si quis dixerit Ordinem, sive sacram Ordinationem non esse verum Sacramentum, anathema sit.* Nam est signum gratiae productivum. I. Th. 1. *Resuscites gratiam, quae est in te per impositionem manuum mearum*; ubi manuum impositio gratiam indicat.

Q. 4. *Quomodo septem Ordines sint unum Sacramentum Ordinis?*

R. Sunt unum ratione unius Sacerdotii, ad quod referuntur: nam Sacerdotium est veluti totum, cujus singuli Ordines sunt veluti partes. Num vero quivis Ordo, sit sacramentum, controvertitur, ut infra art. 2. q. 7.

Q. 5. *Quis sit Minister sacrae Ordinationis?*

R. Ordinarius est Episcopus, nam Act. 6. Diaconi, Presbyteri, Episcopi dicuntur esse ab Apostolis ordinati. Hinc enormiter errant Novatores dicentes, potestatem ordinandi esse in caetu fidelium, qui ad confusionem evitandam, illam Episcopis conferunt. Papa delegare valet potestatem conferendi minores ordines, et Subdiaconatum Simplici Sacerdoti, ex Epist. 9. Gelasii 1. Papae.

Q. 6. *An valida sit ordinatio ab haereticis facta?*

R. Affirm. modo Episcopi haeretici fuerint et ipsi valide ordinati. Nec Ecclesia sic ordinatos, et ad fidem conversos iterum ordinat. Hinc, vel sufficit in eis character; vel Ecclesia tacite illis jurisdictionem confert.

Q. 7. *Quid sit subjectum Sacrae Ordinationis?*

R. Montanistae dicunt esse feminas etiam. At Ecclesia Scripturis edocta illas excludit. Hinc Episcopissae, Presbyterissae, Diaconisae in Jure Canonico memoratae, vel erant uxores Episcoporum, Presbyterorum, etc. vel erant deputatae ad feminas in rebus Sacris erudiendas.

Q. 8. *Qui sint Sacrae Ordinationis effectus?*

R. Sunt tres. 1. Gratia secunda sanctificans. 2. Gratia Sacramentalis. 3. Character, modo quisque Ordo sit Sacramentum.

ART. 2.

De singulis Ordinibus.

Septem Ordinibus a Tridentino memoratis; *ut sup. art.* 1. *Q.* 2. addunt Canonistae Tonsuram, et Episcopatum. De omnibus sigillatim.

De Tonsura, et Minoribus Ordinibus.

Q. 1. *Quid sit Tonsura Clericalis; et an sit aliquis Ordo?*

R. Est ritus, quo laicus fit Clericus. Clericus vero est vir vocatus in sortem Domini. Non est Ordo; quia nullam dat potestatem circa Eucharistiam: at est dispositio ad Ordines suspiciendos. Hinc qui sine illa susciperet, graviter peccaret,

ac suspensionem incurreret, ex Decr. S. C. uti refert Collet.

Q. 2. *Quid sit Ostiariatus. Quae ejus officia? Quae materia, et forma?*

R. Est Ordo minor, quo traditur potestas custodiendi Ecclesiam, et res ejus. Officia sunt claudere, et aperire Ecclesiam, arcere indignos, pulsare campanas, etc. Materia sunt claves, earumque traditio. Forma sunt Episcopi verba in traditione clavium.

Q. 3. *Quid sit Lectoratus; Quae ejus Officia? Quae materia, et Forma?*

R. Est Ordo minor, quo traditur potestas legendi publice Sacram Scripturam, ac fidei rudimenta docere. Materia est Biblia. Forma Episcopi verba.

Q. 4. *Quid sit Exorcistatus. Quae Officia? Quae materia, et Forma?*

R. Est Ordo minor, quo traditur potestas ejiciendi daemones ab obsessis fidelibus, et Catechumenis. *Officia* sunt, jurisdictione accepta, recitare exorcismos. *Materia* est liber exorcismorum. *Forma* verba Episcopi.

Q. 5. *Quid sit Acolythatus? Quae ejus Officia? Quae materia, et Forma?*

R. Est Ordo minor, quo traditur potestas ministrandi Subdiacono. Officia sunt parare in ampullis vinum, et aquam, ac praebere Subdiacono: luminaria ferre; unde Ceroferarii vocantur. Materia sunt ampullae, ac cereus. Forma Episcopi verba.

Q. 6. *An minores Ordines sint Sacramentum, characterem imprimens?*

R. D. Th., Scotus, alique affirmant, illosque vocant Sacramenta *partialia*, quae unum totale

conficiunt, ut supra *art.* 1. *Q.* 4. At Recentiores negant, quia non constat eorum D. Institutio. Hinc ajunt, Minoristas illicite ordinatos non incurrere suspensionem, et in Sacramento Paenitentiae amittenda verba *a vinculo suspensionis*.

De Subdiaconatu, et Diaconatu.

Q. 7. *Quid sit Ssbdiaconatus? Quae officia? Quae materia, et forma?*

R. Est Ordo major; quo traditur potestas inserviendi Diacono. Officia sunt deferre Calicem, aepistolam canere, Crucem ferre, lavare corporalia ec. Materia est Calix vacuus cum Patena, et liber epistolarum. Forma Episcopi verba.

Q. 8. *An Subdiaconatus sit per se Sacramentum?*

R. Alii affirmant. 1. Quia est Ordo Sacer. 2. Quia votum includit castitatis. 3. Quia iterari nequit ob characterem. Alii probabilius negant 1. Quia non constat ejus D. Institutio. 2. quia nec Sacer est, nec votum includit apud Graecos. 3. Quia iterari nequit non ob characterem; sed quia Ecclesia iterari vetat.

Q. 9. *Quid sit Diaconatus? Quae ejus Officia? Quae materia, et forma?*

R. Est Ordo major, quo traditur potestas inserviendi Sacerdoti, baptizandi, ac praedicandi, quae sunt propria officia: nam Evangelium canere, et de licentia Episcopi Eucharistiam ministrare ab Ecclesia statutum est. *Materia*, apud Graecos est sola manuum impositio: apud Latinos, etiam liber Evangeliorum. *Forma* verba Episcopi.

Q. 10. *An Diaconatus sit per se solum Sacramentum?*

R. Nec est de fide; nec omnino certum: nam

Cajetanus, Maldonatus, Aliique negant: et Bellarminus probabile putat. At probabilius est Sacramentum. Nam Act. 6 Diaconi sic ordinati dicuntur; *Orantes imposuerunt manus.* Oratio autem indicat gratiam, et impositio manuum est signum sensibile gratiae productivum; quod est Sacramentum. Cura viduarum fuit motivum ordinandi Diaconos, non vero proprium Diaconorum officium.

De Presbyteratu, et Episcopatu.

Q. 11. *Quid sit Presbyteratus? Quae Officia? An sit Sacramentum?*

R. Est Ordo Sacer, quo traditur potestas conficiendi Christi corpus, ac remittendi peccata. Officia sunt sacrificare, absolvere, benedicere, etc. Est Sacramentum, etsi non conferantur alii Ordines, ex *Trid. ses.* 13.

Q. 12. *Quae sit materia; quaeve Forma Presbyteratus?*

R. Apud Graecos est una manuum impositio cum hac forma; *Divina gratia promovet N. Diaconum in Presbyterum*; Apud Latinos est duplex impositio manuum, cum traditione Patenae cum Ostia, et Calicis cum vino; et duplex forma: itaut in altera datur potestas conficiendi Eucharistiam; et in altera remittendi peccata.

Q. 13. *Quid sit Episcopatus?*

R. Est Ordo, vel gradus Ordinis, ut *inf. Q.* 16. quo traditur potestas conferendi Confirmationem, et Ordines, ac regendi Ecclesiam. Haec Potestas vocatur *Ordinis*, et a Deo confertur ex illo Act. 20. *Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.*

Q. 14. *An praeter Potestatem Ordinis requiratur jurisdictio; et a quo sit?*

m

R. Requiritur. Nam sicuti Sacerdos initiatus absolvere nequit, nisi jurisdictionem obtineat, etsi in Ordinatione absolvendi potestatem accipiat: sic Episcopus, licet in Ordinatione potestatem Ordinis accipiat regendi Ecclesiam, hanc autem regere nequit sine jurisdictione. Haec porro est a Papa, *ut sup. Tract. I. cap. IV. art. II.*

Q. 15. *Quae sit materia, Forma, et Minister Episcopatus?*

R. *Materia* est impositio manuum Episcopi: nec tres requiruntur; nam Thimoteus a solo Paulo initiatus legitur. Traditio baculi, annuali, libri Evangeliorum, et verba his correspondentiă probabilius non sunt de essentia. *Forma* sunt Episcopi verba in manuum impositione; idest; *Accipe Spiritum Sanctum.*

Q. 16. *An Episcopatus sit Ordo distinctus a Presbyteratu, et major?*

R. An sit distinctus; an extensio tantum ejusdem Ordinis Presbyteratus? controvertitur. Est autem Presbyteratu major, ut definivit Tridentium ses. 23. contra Novatores.

Q. 17. *Quid alim fuerint Chorepiscopi?*

R. Fuerunt tum simplices Sacerdotes, tum Episcopi e suis Sedibus ejecti a tyrrannis. His utebantur Episcopi veluti Coadjutoribus pro Ecclesiis ruralibus.

CAP. VI.

DE MATRIMONIO.

Matrimonium; quod et *Conjugium* dici solet, idest commune Jugum viri ac mulieris; spectatur ut *Contractus*, et sic viget in Nationibus etiam infidelibus: et ut *Sacramentum*, et sic est in sola

Christi Ecclesia. De illo sub utroque aspectu agendum: adeoque.

ART. I.

De Contractu Matrimonii.

Q. 1. *Quid sit Matrimonii contractus?*

R. Est unio maritalis viri, ac mulieris inter legitimas personas, ad individuam vitam instituta. *Unio* innuit jus unius in alium; *Maritalis* pactum, quo vir vult fieri maritus, et mulier illum ut maritum habere; *ad individuam* . . indicat indissolubile vinculum.

Q. 2. *Quotuplex sit Natrimonialis contractus?*

R. Triplex. *Naturalis*, qui fit instinctu, ac legibus naturae. *Civilis*, qui fit etiam juxta Principum leges. *Sacer*, qui fit insuper juxta Ecclesiae leges. Hinc triplex etiam Matrimonium: *Legitimum*, inter Personas a legibus non impeditas, *ratum*, inter fideles ab Ecclesia probatum: *consumatum*, carnali coitu.

Q. 3. *In quo consistat essentia Matrimonii?*

R. *In fieri* consistit in mutuo consensu: nam Chr. homil. 32. in Matt. *Matrimonium non coitus facit, sed consensus.* At in *facto esse* consistit, in indissolubili vinculo; nam Matt. 19. *Quod Deus conjunxit, homo non separet.*

Q. 4. *An quivis, Matrimonii contractus, ejusq. usus sit licitus?*

R. Etiam. Nam Gen. 2., cum nondum essent positivae leges, Adae ac Haevae ait Deus: *Crescite, et multiplicamini*: quod cum fieri nequeat sine coitu, patet Matrimonium etiam naturale, ejusque usum licitum esse.

ART. 2.

De Sacramento Matrimonii.

Q. 1. *Quid fit Matrimonii Sacramentum?*

R. Est sensibilis ritus ad sanctificandam unionem maritalem institutus: vel; *Est illa maritalis unio, quae sit gratiae productiva.* Hinc Matrimonium semper est unio maritalis; sed haec non ubique, ac semper est Sacramentum, sed tantum cum fit in Ecclesia, et juxta Ecclesiae leges.

Q. 2. *An sit de fide Matrimonium esse Sacramentum?*

R. Ita est; *Trid. ses.* 7. Nam Ephes. 5. de illo dicitur: *Sacramentum hoc magnum est, dico in Christo, et Ecclesia.* Si enim est signum unionis Christi, et Ecclesiae; patet esse signum gratiae productivum, qua fit unio illa.

Q. 3. *An Matrimonium infidelum fiat Sacramentum, si convertantur?*

R. Si ambo convertantur, non dissolvitur vinculum, et dubium est an fiat. Si vero unus tantum; solvitur vinculum, et conversus aliud inire valet, quod sit Sacramentum. Est communis contra paucos, qui volunt etiam unius conversione non dissolvi vinculum.

Q. 4. *Quis sit Minister? Quae materia, et forma hujus Sacramenti?*

R. Alii dicunt, *Ministrum* esse contrahentes; *materiam* corporum traditionem; *formam* verba vel nutum consensus. Alii docent, *Ministrum* esse Sacerdotem benedicentem; materiam corporum traditionem; *Formam* verba Sacerdotis: *Ego conjungo vos etc.*

Q. 5. *Quaenam ex praefatis sententiis tutior sit, ac servanda?*

R. Sententia posterior. Nam in aliis Sacramentis, etiam in Baptismo, qui est necessitatis *medii*; noluit Christus ut idem sit subjectum, et Minister. Ergo etc. Hinc Matrimonium per procuratorem non erit Sacramentum, nisi renovetur consensus coram Sacerdote dicente; *Ego vos conjungo in matrimonium, in Nomine Patris etc.*

Q. 6. *Qui sint effectus hujus Sacrament? Et an aliquando solvatur?*

R. Effectus sunt gratia *sanctificans*, *et Sacramentalis*. In Ecclesia *Ratum* tantum, non consumatum solvitur Professione Religiosa; *Tridentin. ses.* 24.

TRACTATUS IX.

DE CHRISTI GRATIA.

Gratia *generatim* est omne Dei domum gratis datum, etiam naturale: *specialim* vero est donum supernaturale gratis datum, in ordine ad salutom. Haec si detur *non dignis*, et absque intuitu Christi, ut Angelorum gratia, et Adae innocentis, *gratia Dei* vocatur; si vero datur *indignis* post lapsum, et intuitu Christi, *gratia Christi* audit: nam Christus passibilis post praevisionem lapsus decretus fuit. Gratia igitur Christi est; *Donum supernaturale, intuitu Christi gratis datum, in ordine ad salutem.* Duplex est; *Actualis*, et *Habitualis*: ideo

CAP. I.

DE ACTUALI CHRISTI GRATIA.

Ad actualem Christi gratiam potissimum revocantur ejus natura, sufficientia, efficacia, necessitas, distributio; ut sequitur.

ART. I.

De Actualis Gratiae Natura.

Q. 1. *Quid sit; et in quo actualis gratia consistat?*

R. Communiter *Est Dei auxilium homini collatum ad bene agendum.* Consistit; juxta Thomistas in physica praemotione; juxta Augustinenses in victrici delectatione: juxta alios in adjutorio cooperante, ex illo Apost. *Non ego sed gratia Dei mecum.*

Q. 2. *An actualis gratia sit omnino gratuita?*

R. Sic est de Fide. Nam Rom. 11. *Si gratia, jam non ex operibus; alioquin non est gratia.* Verum haec fidei veritas excludit opera *condigna*, quibus ex justitia debeatur gratia; non vero *congrua*, quibus ex libera Dei misericordia tribuatur, ut sequitur.

Q. 3. *An homo gratiam actualem aliquando mereri valeat?*

R. Plerique docent, quod *facienti quod in se est Deus non denegat gratiam*; idest pietate tribuit, quod justitia non debet. Alii addunt id fieri ex pacto cum Christo a Deo inito. Quicquid sit de duplici hoc benigno placito; certum est ab Ecclesia non fuisse damnatum.

Q. 4. *An aliquando debeat Deus actualem conferre gratiam?*

R. Tunc debet, cum vult finem aliquem, cui gratia necessaria sit: secus vana foret ejus voluntas, irritusque finis. Hinc volens etiam post lapsum *Omnes salvos fieri*, 1. Thim. 2.; medium ad salutem necessarium, idest gratiam eis tribuat oportet.

Q. 5. *An mox praefata doctrina gratuitati gratiae adversetur?*

R. Minime. Nam Deus finem volens, non alteri sed sibi veraci, suaeque fidelitati fit medii necessarii debitor. Sic etiam fit aliquid promittens, ex Aug. in Psal. 83. *Debitorem se facit Deus promittendo.* Tunc enim gratia est debitum in Deo, et donum in homine.

Q. 6. *Quae fuerit ante lapsum actualis gratia?*

R. Ex Aug. *l. cor. et gr.* Fuit *sufficiens* tantum, efficax ab Adae cooperatione reddenda: *Tale erat adjutorium, quod desereret cum vellet; in quo staret si vellet; non quo fieret ut vellet.* Si enim efficax per se fuisset, Ada non corruisset. En salutis medium a Deo initio statutum.

Q. 7. *Quae sit post lapsum actualis gratia?*

R. Est eadem, ac ante lapsum, licet viuberior, ex Rom 3. *Ubi abbundavit delictum, superabbundavit et gratia.* Nam vox *superabbundavit* non natura diversam, sed vi majorem indicat gratiam. Sicuti ubi ait Apostolus *superabbundo gaudio*, non specie distinctum, sed idem gaudium magis auctum innuit. Nec immutavit Deus semel statutum salutis ordinem, ut Q. 6.

Q. 8. *Quotuplex sit actualis gratia?*

R. Communiter duplex est: *sufficiens*, quae dat *posse* tantum bene agere: et *efficax*, quae tribuit

ipsum bene agere. Verum sufficientia, et efficacia gratiae dissidii caput sunt, ut sequitur.

ART. 2.

De Actualis gratiae sufficientia.

Q. 1. *Quid sit gratia sufficiens; et quomodo ab efficaci differat?*

R. Est auxilium vim tribuens bene agendi. Juxta Thomistas, et Augustinenses, differt ab efficaci ex parte Dei, quatenus utraque divisim a Deo sit. Juxta Alios, differt ex parte hominis, quatenus a Deo sit tantum sufficiens, et ab homine volente, vel nolente cooperari fiat, vel non efficax.

Q. 2. *Ex parte Dei ne, an hominis gratia sufficiens ab efficaci distinguatur?*

R. Ex parte hominis. 1. Quia ab homine pendet, ut gratia sufficiens fiat, vel non efficax, ut *inf. art.* 3. II. Quia gratia sufficiens, quae ab homine fieri efficax nequeat, insufficiens foret ad salutem: ergo vel non datur, vel illam largiendo Deus deficeret in necessariis.

Reponunt. Deus largiens gratiam sufficientem tantum, non deficit in necessariis; quia homini lapso culpa est, cur insufficiens nunc reddatur = R. Vanum effugium! Nam etiam post lapsum, vult *Deus omnes salvos fieri* 1. Th. 2. ergo etiam nunc largiri debet medium necessarium, seu gratiam sufficientem, quae fieri efficax valeat ab homine.

Q. 3. *Quotuplex sit oporteat gratia sufficiens?*

R. Duplex. *Communis*, quae datur omnibus post origtnale; quia omnes vult Deus salvos fieri; *sup. art.* 1. Q. 4. *Specialis*, quae tribuitur; qui-

bus vult Deus, post actuale peccatum, ex illo Rom. 9. *Cujus vult, miseretur.* Ratio distinctionis est, ut sequitur.

Q. 4. *Cur communis gratia, et non specialis, tribuatur omnibus?*

R. Praeter occulta Dei judicia, duas ob rationes. 1. Quia *originale*, post quod *communis* datur omnibus, arcano Dei consilio in omnes pertransiit: *actuale* vero sua quisque perficit malitia. 2. Quia reservans sibi Deus gratiam *specialem*, illorum retundit audaciam, qui dicerent: *Quicquid mali faciamus, dabit Deus gratiam specialem.*

Q. 5. *Qualis esse debeat sufficiens gratia, ut homo bene agere valeat?*

R. Cui vult misereri Deus, ac tribuere, debet esse *relative* sufficiens, idest vis saltem aequalis oppositae cupiditati, ac operi perficiendo. Nam sicut ad opus naturae vis requiritur saltem aequalis; sic ad opus gratiae, quae vulgo dicitur imitari naturam. Idipsum magis, magisque patebit ex sequenti quaestione.

Q. 6. *An praefata sufficientis gratiae doctrina a Moliniana differat?*

R. Maxime differt. Nam Ludovicus Molina Jesuita nonnisi *communem* docuit sufficientem gratiam, quam *versatilem* vocavit, quod una eademque in omnibus aequaliter versetur, et in quibusvis diversis circumstantiis. At quis credat, eadem vi gratiae tum gravem, tum levem vinci tentationem; tum exiguum, tum magnum effici salutis opus? O quam Ludovico bene fuisset *relative* sufficientem agnoscere gratiam!

ART. 3.

De Gratiae actualis Efficacia.

Q. 1. *Quid sit gratia efficax; et a quo ejus efficacia profluat?*

R. Est Dei auxilium, cui jungitur velle, ac agere bonum. Hanc ejus efficaciam Alii repetunt ab ipsa gratia, quatenus insuperabiliter moveat, vel trahat voluntatem, ac infallibiliter operetur bonum: hinc vocant *per se*, ac *intrinsecus* efficacem. Alii vero a libero arbitrio sufficienti gratiae cooperanti repetunt, quam gratiam *per accidens*, ac *extrinsecus* efficacem appellant; *sup. art.* 2, *Q.* 1.

Q. 2. *Quae potius ex praefatis sententiis sit recipienda?*

R. Sententia de gratia extrinsecus efficaci, ut e sequentibus patebit argumentis, aliis ducentis brevitatis gratia praetermissis:

Argumenta pro gratia extrinsecus efficaci.

I. Matt. 11. *Vae tibi Corozaim: si in Tyro factae fuissent virtutes, quae in te; poenitentiam egissent.* Nam hic aperte agitur I. De gratia *sufficiente* a Corozaitis repulsa: efficax enim non repellitur. II. De sufficiente *speciali* justo judicio Tyriis negata: nam communis non negatur. III. De gratia extrinsecus efficaci: nam consensum negatum a Corozaitis Tyrii dedissent.

Dicunt. Efficacia intrinseca, vel *absoluta* est, quae *ex Aug.* a nullo respuitur; vel *relativa*, quae a duriori repellitur. Hinc quam respuerunt Coro-

zaitae duriores, non respuissent Tyrii minus duri = R. Literalis, et apertus Scripturae sensus non eluditur arbitraria, et incerta opinandi ratione. Nam praefata duplex efficacia gratis statuitur.

II. Deus vere *vult omnes salvos fieri* 1. Th. 2. Ergo debet necessariam dare gratiam; *sup. art.* 1. *Q.* 4. Atqui haec gratia non est *intrinsecus* efficax; quia sic omnes salvi fierent. Ergo est extrinsecus efficax; quae cum a paucis conantibus fiat efficax; ideo pauci salvi fiunt.

Dicunt. Deus alios vult salvos fieri voluntate *antecedente*, quibus efficacem non dat gratiam, sed sufficientem tantum: alios vero voluntate *consequente*, quibus gratiam tribuit efficacem = R. Et id male asseritur. Nam quae illa est antecedens salvandi voluntas, quae neminem salvat? Hanc propterea plerique removent a Deo. Quae illa est sufficiens gratia, quae revera non sufficit; cum nec *per se* sit, nec ob homine fieri efficax valeat?

III. Apoc. 3. Ad cor hominis loquitur Deus: *Ego sto ad ostium, et pulso; si quis aperuerit, intrabo.* Ergo ab homine aperiente, *si aperuerit*, pendet efficacia gratiae *intrabo*. Secus illuderet homini Deus dicens *si quis*; et homo Deo ingerere posset; *Ut quid a me tibi aperiri petis? Cum tu volueris efficaci per se gratia, aperies et intrabis.*

Dicunt. Deus verbis *si quis* innuit, hominem adhuc sub efficaci gratia liberum esse, licet infallibiliter agat. Nam secus dicere cogeremur, Deum incertum expectare conditionis eventum; quod absurdum est = R. Literali Scripturae sensu nonnisi ratio evidens obstare valet, quae non affulget. Falsum porro est, Deum expectare incertum conditionis eventum; cum omnia futura nuda sint illi. Mutuo denique sibi adversantur *libere*, ac

infallibiliter agere: nam infallibile nequit non esse, est inevitabile, necessarium est, non liberum.

IV. In Scripturis passim *adjutor* vocatur Deus, et *adjutorium* ejus gratia. Notum autem omnibus est, nec adjutorem totum efficere opus, nec adjutorium causam esse totalem. Salutis igitur opus est simul, ac indivisim a Deo adjuvante, ac homine cooperari volente; itaut si nolit homo, vanum est adjutorium. Ideo Apostolus II. Cor. 6. *Hortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Quid apertius?

V. Innocentius X. hanc Jansenii thesim damnavit: *Interiori gratiae, in statu naturae lapsae, numqaam resistitur.* Ergo ad libitum hominis resistitur. Atqui gratia, cui ad libitum resistitur, non est *intrinsecus* efficax, sed *extrinsecus.* Ergo ita credendum.

VI. Sana docet philosophia, tunc hominem esse liberum, cum sibi exhibere valet particulare bonum sub specie mali; ac vicissim. Ergo, vel homo nequit sic sibi exhibere bonum a gratia inspiratum; et in casu non est liber: vel valet sic sibi exhibere; et in casu gratiam non erit *per se* efficax. Sicuti porro ab homine pendet, ut sibi exhibeat, vel non gratiae bonum sub specie mali: sic et ab homine pendet., ut gratia sit, vel non sit efficax.

Dicunt. Valet homo sibi gratiae bonum sub specie mali exhibere: at numquam sic exhibebit = R. Frustra sic objicitur. Nam I. Vana potentia est; quae numquam juxta sui naturam agit. II. Quo fieri miraculo potuit, ut per sex circiter millenos annos, numquam homo sibi gratiae bonum sub specie mali exhibuerit? III. Qua hominis libertas ratione constaret sub efficaci gratia, sine aliquo

contradictionis exemplo ? IV. Si gratia *per se* efficax impedit, ne homo gratiae bonum sub specie mali sibi exhibeat, et eidem gratiae contradicat: ergo impedit quoque, ne homo fit liber.

VII. Gratia *per se* efficax hominem a cura salutis avertit: nam dicere valet; *Ut quid mihi cura salutis ? Vel dabit mihi Deus gratiam per se efficacem, et tunc infallibiliter bonum faciam; vel non dabit, et frustra facere conabor.* E contra, gratia *extrinsecus* efficax urget potius ad salutis studium: nam dicere cogitur homo; *Si pro viribus gratiae cooperor, probus ero, et salvabor: secus vero, si respuere gratiam audebo.*

Objecta in gratiam extrinsecus efficacem.

Objic. I. Ezech. 26. *Auferam cor lapideum . . et faciam ut in preceptis meis ambuletis.* Philip. 2. *Deus est, qui operatur in vobis velle, ac perficere.* Similia passim. Ergo velle, ac agere bonum a Deo est, seu a gratia *per se* efficaci — Eadem est Patrum doctrina; et Ecclesiae sic orantis; *Da, praesta, quaesumus*: nam quod a Deo petitur, non est a nobis. Ergo gratia est per se efficax.

Resp. Neg. Cons. Nam in Scripturis sunt et alia oracula, quae innuere videntur ab homine tantum fieri bonum, ut; *Convertimini*, *Scindite corda*, *Facite fructus*; ec. Qui enim jubet, ab alio quod vult, expectat. Cum porro Deus contradictionis auctor non sit; dicere cogimur bonum esse simul a Deo adjuvante, ac ab homine cooperante. Tribuitur autem alterutri totum; quia deficiente alterutro, bonum non fiet. Idem sensus est Patrum, et Ecclesiae.

Objic. II. Deus supremum in cor hominis do-,

minium habet Ergo prout vult, efficaci *per se* gratia moderatur illud — Profecto magis a Deo pendet cor hominis, quam instrumentum ab Artifice. Artifex prout vult moderatur instrumentum. Ergo magis cor hominis Deus.

Resp. Ad I. Dist. Ant. Supremum habet dominium, quin sibi contradicat; Conc. Secus, Neg. Contradiceret autem sibi Deus, si creatam liberam voluntatem non sineret a seipsa sub gratia determinari ad ei cooperandum. Ad II. Magis a Deo pendet voluntas etc. *In essendo*, Conc. nam voluntas habet esse a Deo, quod non habet ab Artifice instrumentum. *In operando*, Neg. Nam instrumentum ab Artifice determinatur; voluntas vero a seipsa, vi a Deo accepta.

Objic. III. Gratia perseverantiae Finalis infallibiliter consequitur salutem, ex illo Matth. 24. *Qui perseveraverit usque in finem, salvus erit.* Ergo saltem ista gratia intrinsecus efficax erit.

R. Neg. Cons. Nam non sola gratia perseverantiae, sed perseverantiae virtus, seu eidem gratiae cooperatio infallibiliter gloriae jungitur. Si Apoc. 3. homini dicitur; *Esto fidelis usque ad mortem. Tene quod habes etc.*: prefecto verba imperativa *Esto*, *Tene* indicant ab homine perseverantiae pendere virtutem: secus irrisoria Forent. Hinc valet homo recipere perseverantiae gratiam, quin perseveret; cum ea non sit nisi *speciale Dei auxilium*, *Trid. ses. 6.*

Objic. IV. Doctrina de gratia extrinsecus efficaci pelagiana videtur: nam tribuit *posse* Deo, et homini *velle*, quod nobilius est. Ergo rejicienda est.

Resp. Neg. Ant. Nam pelagianus ne fuit Ada conditus gratia extrinsecus efficaci? *sup. art.* 1.

Q. 6. Pelagianus inter Patres D. Bonaventura? Pelagianus inter Theologos Tournelyus? O contumelia diris litanda! Pelagius docuit ab homine fieri sine gratia bonum, non vero gratiae auxilio. Nec *velle* nobilius est *posse*: nam actus est potentiae effectus, qui namquam sua causa major est.

ART. 4.

De Actualis Gratiae Necessitate.

Q. 1. *Qui actualis gratiae necessitatem impugnaverint?*

R. I. Origines; qui nos gratiam mereri; et Christum prius purum hominem fuisse, ac hypostaticam Unionem meruisse docuit. II. Pelagius, qui antea negavit; deinde Augustini pressus argumentis, *utilem* dixit, non *necessariam* esse gratiam. III. Semipelagiani a nobis *initium* boni, ut piam cogitationem, et a gratia ejus *perfectionem* repetentes.

Q. 2. *An ad quodvis verum, et bonum supernaturale gratia requiratur?*

R. Id est de fide. Nam 1. Verum supernaturale fides est. Haec autem est a gratia; Ephes. 2. *Gratia salvati estis per fidem.* II. Bonum supernum est bona Deo placendi voluntas. Haec autem a gratia est; Philip. 2. *Deus operatur in vobis pro bona voluntate.*

Q. 3. *An initium saltem veri, ac boni superni sit a nobis?*

R. Minime. Nam Philip. 2. *Qui coepit in vobis opus bonum, perficiet.* Ergo initium quòque, nedum perfectio boni operis a Dei gratia est.

Q. 4. *An Deus aliquomodo amari sine gratia possit?*

R. I. Affirmative, ut *Auctor naturae*, ac Benefactor nam in id natura ipsa fertur: et vel bruta beneficia sentiunt. II. Negative, ut *Auctor gratiae*, et glorificator: nam sic est finis ultimus, non comparandus sine gratia. Hinc Pius V. hanc Baji thesim damnavit: *Distinctio amoris Dei naturalis, quo ut Auctor naturae, gratuiti quo ut beatificator amatur, vana est.* Ergc vana non est, ac bene se habet.

Q. 5. *An ad perseverandum gratia specialis requiratur?*

R. Ita de fide est. Nam Trid. ses. 6. *Si quis dixerit hominem justificatum, sine speciali Dei auxilio in accepta justitia perseverare posse; anathema sit.* Hinc perseverantia est *stabilitas in justitia.*

Q. 6. *An tentatio vinci, et peccata vitari sine gratia possint?*

R. I. Si tentatio sit levis, et homo justus, forte sic vincitur *amore honestatis*, ut plerique docent: at *amore Dei* nulla vincitur sine gratia; quia sic vincere actus est supernaturalis. II. Similiter *per aliquod tempus*, et honestatis amore forte vitatur peccatum: at *in tota vita*, privilegium B. Mariae fuit; *Trid. ses.* 6. Hinc Ecclesiae nomine ipsa orabat: *Dimitte nobis debita nostra.*

Q. 7. *An gratia requiratur ad singulos actus; et hi cui tribuendi?*

R. Ita gratia requiritur: nam in singulis loquitur Deus; *Sine me nihil potestis facere.* Tribuendi autem sunt, nec soli gratiae auxilio, nec soli arbitrio cooperanti; sed alterutri totaliter; *Aug. de Praed. c.* 4. Hinc magis patet gratiam esse extrinsecus efficacem.

Art. 5.

De Actualis gratiae distributione.

Q. 1. *An fidelibus omnibus justis, et impiis actualis gratia tribuatur?*

R. *Quoad justos*, est de fide, ut patet ex hac damnata Jansenii propositione; *Deest gratia justis, qua possibilia fiant aliqua Dei praecepta.* Ergo non deest. *Quoad impios* vero, sufficiens *communis* tribuitur; *specialis* autem, si Deus velit, ut *sup. art.* 11. *q.* 3. *et* 4.

Q. 2. *An actualis sufficiens gratia infidelibus tribuatur?*

R. Affirmative, prout mox *q.* 1. dictum est. Nam pro infidelibus etiam mortuus est Christus; II. Cor. 5. *Omnes mortui sunt*; (in Ada) *et pro omnibus mortuus est Christus.* Ergo ne vana sit pro infidelibus mors Christi, *communis* saltem sufficiens gratia eis tribuitur. Hinc Alex. VIII. hanc damnavit thesim: *Pagani, Judaei, etc. nullum recipiunt a Jesu Christo influxum.*

Objic. Si infideles, qui nihil de Christo audierunt, gratiam reciperent, eorum infidelitas peccatum foret. Atqui hoc Pius V. damnavit: *Infidelitas negativa peccatum est.* Ergo non recipiunt gratiam.

Resp. Dist. Ma. Peccatum foret, si reciperent Evangelii quoque gratiam, Conc. Si hanc non recipiunt, Neg. Nam culpabilis infidelitas est, quae adversatur auditi Evangelii gratiae. At hujus gratiae defectus non obstat quin alias recipiant gratias: nam Clemens XI. hanc damnavit thesim; *Fides est prima gratia, et fons aliarum.* Si infi-

deles cooperarentur aliis antea gratiis, Evangelii gratiam reciperent. *D. Th. de verit.*

CAP. II.

DE HABITUALI CHRISTI GRATIA.

Habitualis gratia est superna qualitas inhaerens animae, qua homo fit justus, ac merendi capax. An differat a charitate habituali; controvertitur. Non est vero ipse Spiritus Sanctus inhabitans, ut quidam ajunt: nam Rom. 2. *Charitas Dei diffusa est per Spiritum Sanctum*: quod autem diffunditur, ab eo qui diffundit, distinguitur. Si ergo, ut dictum est, habituali gratia fit homo justus, ac merendi capax; agendum hic est 1. De Justificatione impii. 2. De merito Justi.

ART. I.

De Justificatione impii.

Q. 1. *Quid sit Justificatio; et quotuplex ejus causa?*

R. Est transitus a statu injustitiae ad statum justitiae. Quadruplex est ejus causa. *Efficiens*, Deus. *Meritoria*, Christus. *Formalis*, qualitas inhaerens. *Instrumentalis*, Sacramenta mortuorum.

Q. 2. *Quot sint proprietates Justificationis?*

R. Sunt tres. I. *Inaequalitas*; Apoc. 22. *Qui justus est, justificetur adhuc*. II. *Incertitudo*, Rom. 20. *Quis potest dicere; mundum est cor meum?* III. *Amissibilitas*; Ezech. 33. *Cum recesserit justus a justitia*.

Q. 3. *Quid sentiant haeretici de Justificatione?*

R. Illam consistere ajunt in imputatione justitiae Christi, qua peccata teguntur, non delentur. Hinc eruunt justificationem in omnibus aequalem esse, certam, et inamissibilem, uti est justitia Christi. At pessime decipiuntur, ut *sup. q.* 2.

Q. 4. *Quid sentiant Catholici de Justificatione?*

R. Praeter exposita *q.* 1. *et* 2.; credunt illam consistere. I. In remissione peccati, Jo. 20. *Quorum remiseritis peccata.* II. In deletione peccati, Psal. 50. *Dele iniquitatem meam.* III. In infusione justitiae, Ibidem *Cor mundum crea in me Deus.* Et Trid. sess. 7. *Justificatio non est sola remissio, sed et sanctificatio.*

Objic. I. Psal. 31. *Beati quorum tecta sunt peccata.* Ergo in Justificatione teguntur peccata; non remittuntur, ac delentur. = R. Neg. Cons. Nam Dei oculis tunc peccata teguntur, cum remittuntur ac delentur.

Objic. II. Cor. 1. I. *Christus factus est nobis justitia.* Ergo in justificatione non intrinsece justificatur homo; sed extrinsece imputatur Christi justitia = Neg. Cons. Nam *factus est justitia Christus*, non suam imputando, sed nostram merendo. Idipsum definivit *Trid. sess.* 6.

Q. 5. *An remissio distinguatur a Justificatione?*

R. Minime. Nam realiter unum sunt, itaut infusio gratiae habitualis sit simul, et semel remissiva peccati, expiativa maculae, sanctificativa Animae. Num vero dari possit remissio extrinseca, sine intrinseca justificatione? Controvertitur.

Q. 6. *Quae sit dispositio ad justificationem, juxta Novatores?*

R. Docent sufficere fidem promissionum, qua credimus peccata nobis esse remissa juxta Dei promissiones: quam fidem vocant *Justificantem.* At

maxime falluntur; quia non datur haec fides: nam Eccli. 9. dicitur: *Nescit homo utrum amore, an odio dignus sit.*

Q. 7. *Quae sit dispositio ad justificationem, juxta Catholicos?*

R. Requiritur 1. Fides integra; Hebr. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo.* 2. Non sola fides; Jacob. 2. *Ex operibus justificatur homo, non ex fide tantum.* 3. Spes, charitas saltem initialis, dolor, propositum; Trid. Ses. 6. Hinc si Rom. 5. dicatur; *Justificati gratis per fidem*: sic dicitur, non quia sola sufficiat; sed quia initium est Justificationis.

ART. 2.

De merito Justi.

Q. 1. *Quid, et quotuplex sit meritum?*

R. *Est opus mercede dignum.* Duplex est; *condignum*, cui ex justitia; et *congruum*, cui ex decentia debetur merces. Hoc posterius, vel jungitur Dei promisso, et obtinet infallibiliter; vel sejungitur, et obtinet non infallibiliter; ut infra *Q. 4. et* 5.

Q. 2. *An justi vere mereantur?*

R. Id est de fide. Nam Matt. 5. *Merces vestras copiosa est in coelis*: merces autem veris tribuitur meritis: secus donum, non merces foret. Idipsum *Trid. ses.* 6.

Objic. 1. Christus meruit pro nobis. Ergo justi non merentur. 2. Rom. 6. *Gratia Dei vita aeterna.* Ergo gloria datur gratuite, non ob merita = R. Ad. 1. Dist. Ant. Meruit gratias ad merendum, Conc. Meritum ipsum, Neg. Ad 2. Dist.

Ant. Gratia Dei etc. *Causaliter*; quia merita sunt a gratia, Conc. *Formaliter*; quia datur gratuite sine meritis, Neg.

Q. 3. *An Justi aliqua, et quae de condigno mereantur?*

R. Communius Doctores ajunt, Justos condigne mereri vitam aeternam, ejusque augmentum augmento justitiae. Nam 2. Th. 4. *Reposita est mihi corona justitiae*; quod autem ex justitia datur, condigno merito tribuitur. Idipsum *Trid. ses.* 6. Si Rom 8. dicitur; *Non sunt condignae passiones hujus temporis ad futuram gloriam*: sensus est, gloriam dari *ultra condignum*, ut ajunt Theologi; non vero sine meritis condignis.

Q. 4. *Quid mereri possumus de congruo infallibiliter?*

R. Primam Justificationem vera paenitentia: nam huic illam promissit Deus; Ezech. 33. *Si impius egerit paenitentiam, vita vivet* Supra *Q.* 1.

Q. 5. *Quid mereri possumus de congruo non infallibiliter?*

R. Gratiam actualem, etiam perseverantiae. De hac enim, quae ex *Trid.* est *Speciale auxilium*; Augustinus ait *de Pers- c.* 6. *Hoc Dei donum suppliciter emereri potest.* Et alibi; *Constat Deum orantibus perseverantiam praeparasse.*

Objic. Jo. 16. *Petite, et accipietis.* Ergo gratias infallibiliter orando accipiemus = R. Dist. Ant. Si petamus *sicut oportet*; quia sic petitioni jungitur Dei promissum, Conc. Si secus Neg. At *quod oremus sicut oportet, nescimus.*

Q. 6. *Quot conditiones ad meritum requirantur?*

R. I. *Ex parte Dei*, promissio mercedis: nam Deus non tenetur, nisi promittat, Aug. in Psal. 83. *Debitorem se facit Deus promittendo.* II. *Ex*

parte operantis, status viatoris; *Operari oportet donec dies est*; Jo. 9. item status gratiae; *Qui manet in me, fert fructum*; Jo. 11. III. *Ex parte operis*, ut bonum sit ex objecto, fine, circumstantiis.

Q. 7. *Quotupliciter augeatur meritum?*

R. Tripliciter. I. Ex majori dignitate operantis, ob majorem cum Deo amicitiam. II. Ex majori fervore, ac studio Deo placendi in omnibus. III. Ex majori difficultate, ac duratione operis: nam qui plus laborat, plus meretur.

Q. 8. *An agere liceat intuitu mercedis aeternae?*

R. Etiam; contra Novatores. Nam Psal. 118. *Inclinavi cor meum... propter retributionem.* Idipsum *Trid. Ses.* 6. Tunc enim sic agere vitiosum est, cum excludit amorem in Deum; itaut sine mercede non diligeretur.

TRACTATUS X.

DE ALTERA VITA.

Altera vita est, quae incipit a die mortis; quae ante mundi finem incompleta est, seu quoad Animam tantum; deinde completa erit, idest quoad Animam, et corpus. Prior, vel in Coelo est, vel in inferno, vel in Purgatorio: posterior, vel in Coelo, vel in Inferno, cessante Purgatorio; quamque praecedet mundi finis. Postremus hic Tractatus erit in tria capita divisus. I. De altera vita in genere. II. De altera vita in specie. III. De mundi fine.

CAP. I.

DE ALTERA VITA IN GENERE.

Q. 1. *Quinam erraverint in articulum alterius vitae?*

R. I. *Epicuraei* negantes Animae immortalitatem. II. Quidam Patres, et Joannes Papa XXII. putantes Justis differri gloriam ad diem Judicii. III. Cerinthus, et Papias docentes, Justos post diem Judicii, prius regnaturos cum Christo in terris per mille annos; deinde in Coelum ascensuros. Hoc mille annorum Regnum, per Cerinthum erit inter carnales delicias; per Papiam inter spirituales.

Q. 2. *An de fide sit, alteram post mortem esse vitam?*

R. Ita est. I. Nam Sadducaeis negantibus ait Christus, Matt. 22. *Erratis nescientes Scripturas.* Ergo ex Scripturis constat altera vita. II. Quia Deus juxta merita rependit. Atqui id non fit in hac vita, ubi florent impii, ac Pii vexantur. Ergo fiet in altera vita. III. Quia secus Frustra indidisset homini Deus appetitum semper vivendi.

Q. 3. *An Animabus ad diem Judicii retributio differatur?*

R. Minime. Nam Eccl. 11. *Facile est coram Deo in die obitus retribuere.* Luc. 16. Dives dicitur *mortuus, et sepultus in inferno*; et Lazarus *in sinum Abrahae portatus.* Idipsum Trid. ses. 25. Patres quidam erraruut ante decretum Ecclesiae: et ille Papa Joannes erravit ut Doctor *privatus*, non ut *publicus* recensuit cum Christo regnantibus Sanctum Ludovicum Episcopum Tolosanum.

Objic. Matt. 25. Non ante, sed in die Judicii dicetur Electis: *Percipite regnum.* Ergo ad illum diem retributio differtur = R. Neg. Cons. Nam ibi, et alibi similiter sermo est de gloria *completa* quoad corpus etiam; non vero *incompleta* quoad Animam tantum.

Q. 4. *An futurum sit regnum mille annorum, seu millenariorum?*

R. Fictitium id est. Nam I. Matt. 22. *In resurrectione neque nubent, neque nubentur* — Et Rom. 4. *Non est regnum Dei esca, et potus.* Ergo fingitur a Cerintho regnum inter carnales delicias. II. Jo. 8. Christus ait: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Ergo fingitur etiam a Papia in hoc mundo regnum spiritualium deliciarum.

Objic. Luc. 22. *Dispono vobis regnum, ut edatis, et bibatis* — Et Apoc. 20. *Qui non adoraverunt bestiam* (antichristum) *regnaverunt cum Christo mille annis.* Ergo erit regnum mille annorum inter delicias = R. Neg. Cons. Nam verba *edatis, et bibatis* innuunt Coeli delicias: et verba *mille annis* indicant aeternitatem, juxta morem Scripturae.

CAP. II.

DE ALTERA VITA IN SPECIE.

Altera in specie Vita est Specialis Animarum status post mortem. Hic ante Judicii diem, et quoad Animam tantum triplex est; *Foelix* in Coelo; *miser* in inferno; *medius* in Purgatorio. *Medius* dicitur, quia desinet in die Judicii, et aeternum foelix evadet.

ART. I.

De Vita in Coelo.

Q. 1. *Quae sit Vita in Coelo? Inquo Coelo? Quot ad illam concurrant?*

R. 1. Est Vita beata; et beatitudo ex Boetio est *Status bonorum aggregatione perfectus*. II. Scholastici ajunt Coelum Felicitatis esse Coelum Empyreum, extra visibilem hunc mundum, et ultra primum mobile. Paulus illud vocat *Tertium Coelum*. Beatam hanc vitam quatuor efficiunt; *Objectum*, *Lumen gloriae*, *Visio intuitiva*, *Amor fruitivus*.

Q. 2. *Quid, et quotuplex sit Objectum beatificum?*

R. *Objectum* est, quod objicitur, seu exhibetur Beatis. Duplex est. *Primarium*, idest Deus, et Christus modo finito; Jo. 17. *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te verum Deum, et quem misisti Jesum Christum.* Et *secundarium*, idest creaturae existentes, ac possibiles: at non omnes possibiles, quia Beati non capiunt infinitam Dei potentiam. Ad hoc secundarium pertinent dotes corporis *agilitas*, *subtilitas*, *claritas*, *impassibilitas*.

Q. 3. *Quid sit lumen gloriae? An mens active se habeat in Visione?*

R. I. Est Dei claritas menti Beatorum inhaerens. II. Active se habet mens, Thomistis mussitantibus. Nam sub lumine gloriae non perit mentis facultas, sicuti non perit voluntas in amore fruitivo.

Q. 4. *In quo formaliter, seu essentialiter sit Beatitudo?*

R. Juxta Thomistas in *Visione* intuitiva: juxta Scotistas in *amore* fruitivo. Posterius probabilius est. I. Quia voluntas mente nobilior est, cum ei praecipiat. II. Quia voluntatis actus perfectior est; *Major autem est charitas*; Apost. III. Quia voluntas meretur: ergo et beatur. IV. Quia beatitudo est in satietate, *Satiabor*, quae voluntatem spectat.

Objic. I. Voluntas pendet a mente objecta exhibente: adeoque mens est nobilior, et in ejus actu beatitudo est. II. Beatitudo est in possessione boni. Possessio autem accquiritur visione. III. Jo. 17. *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te*; idest *ut videant*.

Resp. Ad I. Dist. Ant. Pendet, ut a mera conditione, uti oculus a luce, Conc. ut a causa sui operari, Neg. Ad II. Neg. Ma. nam quid prodest videre bonum, nisi cor eo fruatur? Ad III. Ibi sermo est de Vita *consequenda* per fidem, non autem *consecuta*.

Q. 5. *An Coeli gloria sit aequalis in Beatis?*

R. Minime. Sic Trid. Sess. 6. contra Novatores aequalitatem docentes, prout aequaliter imputatur justis Christi justitia, *sup. Tract. IX. c. 2. art. 1. Q.* 3. Nam. 1. Cor. 3. *Unusquisque accipiet secundum suum laborem.* Et II. Cor. 9. *Qui parce seminat, parce et metet.*

Objic. I. Matt. 14. Merces aequaliter datur, qui *una hora*, et qui *tota die* laborarunt. Id autem figura est gloriae tribuendae. II. Inaequalitas foret invidiae causa. Ergo ec. = R. ad 1. Dist. Mi. Est figura gloriae quoad *substantiam*, quia aequaliter salvantur, qui tarde veniunt ad fidem, et gratiam, Conc. Quoad quantitatem, Neg. Ad 2. Neg. Ant. nam quisque satiatur, et est sua sorte contentus.

ART. 2.

De Vita in Inferno.

Q. 1. *Quid sit; et ubi sit infernus.*

R. Licet infernus sit locus quivis subterraneus; hic autem est *locus damnatorum*. Ubi sit, res fidei non est. Nam *Chrys. hom.* 25. ponit extra hunc mundum. Windemius *Q. de nat ignis inf.* statuit in Sole, dicens Angelos rebelles in infernum cecidisse, sole formato, ac terra nondum divisa. Scholastici dicunt esse in terrae centro, ex Luc. 16. *Mortuus est dives, et sepultus est in inferno.*

Q. 2. *Quae sit inferni poena?*

R. Matt. 9. sic indicatur: *Vermis non morietur, et ignis non extinguetur*: idest poena damni nomine *vermis*; et poena sensus nomine *ignis*. Utraque atrocissima juxta Patres, ac Theologos.

Q. 3. *An ignis inferni sit verus ignis?*

R. Origenes, Theophilactus etc. nomine *ignis* dolorificam intelligunt ignis apprehensionem, non verum ignem ab Anima distinctum. At Catholica sententia stat pro vero igne: nam Matt. 25. *Discedite in ignem aeternam*; ubi discedens distinguitur ab igne. At id Ecclesia non definivit.

Objic. Inter ignem materialem, et Animam spiritualem non est proportio: et verus ignis aequaliter cruciaret. Ergo verus non est.

R. Neg. Cons. Nam Dei virtute ignis agere valet in Animam, et inaequaliter.

Q. 4. *An inferni poena sit aeterna?*

R. Origenes docuit *apocatastasim*, idest alternantem poenam, et levamen. Arnobius censuit,

aliquando Animam destructum iri. Utrumque damnatum ut fidei contrarium: nam Matt. 25, *Ibunt in supplicium aeternum.*

Objic. I. Psal. 102. *Non in perpetuum irascetur Deus.* II. Nulla est proportio inter culpam brevem, et poenam aeternam. Ergo etc. = R. Ad I. Dist. Ant. *Non in pertuum irascetur* In hac vita, Conc. In altera, Neg. Ad II. Dist. Ant. Non est proportio, quoad tempus, Conc. Quoad Dei offensam, quae infinita est, Neg.

Q. 5. *An melius sit non esse, quam miserum esse?*

R. Causam hanc agit A Lapide in c. 4. Eccl. ad verba; *Laudavi magis mortuos*, etc. ubi plurimis ostendit; melius *non esse.* Hinc ubi de Juda Christus ait; *Bonum* (melius) *erat, si natus non fuisset*; Augustinus explicat; *Melius est esse carere, quam in inferno jacere.*

Art. 3.

De Vita in Purgatorio.

Q. 1. *Quid sit Purgatorium; quidve de illo definierit Ecclesia?*

R. Est locus expiationis Animarum post mortem. Duo tantum definivit Ecclesia. I. Ejus existentiam. II. Utilitatem suffragiorum.

Q. 2. *Quis sit Purgatorii locus? Et quae illius poena?*

R. Vulgo creditur locus in centro terrae, ac verus ignis; uterque a loco, et igne inferni distinctus. At plerique putant non distinqui, nisi quod Electi ad tempus, et reprobi aeternum ibi erunt. Graeci ajunt, poenam esse molestam obscuritatem.

Q. 3. *An fide constet existentia Purgatorii?*

R. Ita est ex Conciliis Later. IV; Florent; Trid., contra Novatores. Nam II. Mach. 12. *Judas, collatione facta, misit offerri pro peccatis mortuorum Sacrificium.* Ergo existit Purgatorium, expiationis locus.

Objic. I. Eccli. 1. *Si ceciderit lignum ad austrum, aut ad aquilonem, ibi erit.* Ergo non est, nisi paradisus, et infernus = R. Neg. Cons. Nam ad austrum etiam, seu paradisum pertinet purgatorium, ubi Animae securae de salute sunt.

Objic. II. Matt. 25. *Ibunt hi in supplicium aeternum; justi autem in vitam aeternam.* Ergo non est locus medius = R. Neg. Cons. Nam ibi sermo est de Judicio finali, cum cessabit Purgatorium.

Objic. III. Luc. 13. Christus latroni ait; *Hodie mecum eris in paradiso.* Ergo nulla est satisfactio post mortem in Purgatorio = R. Neg. Cons. Nam latro Christi confessione, ac martyrio crucis plene satisfecit.

Q. 4. *An fide constet suffragiorum utilitas?*

R. Ita est, *ex Trid.* contra Novatores. Nam II. Mach. 12. Judas offerri mittens Sacrificium ait. *Sancta, et salubris est cogitatio pro defunctis exorare; ut a peccatis solvantur.* Si ergo solvuntur, utilia eis suffragia sunt.

Q. 5. *Quid, et quotuplex sit suffragium?*

R. Est quodvis pium opus Purgatorii defunctis applicatum. Multiplex est; ut *Sacrificium, preces, eleemosina, opera poenalia, indulgentiae.*

Q. 6. *An Purgatorii Animae sint de salute securae?*

R. Utique. Nam Leo X. hunc damnavit Lutheri articulum: *Animae in Purgatorio non sunt securae de salute, saltem omnes.* Ergo sunt.

Q. 7. *Quid, et quotuplex sit Indulgentia ?*

R. Est remissio poenae culpis venialibus, ac mortalibus remissis debitae. Duplex est; *partialis*, qua pars poenae; et *plenaria*, qua tota remittitur. Utraque *localis* est, si loco; *personalis*, si personae; *realis*, si rei, ut numismati, Crucifixo, Coronae, etc., largiatur.

Q. 8. *Quinam Indulgentias impugnaverint?*

R. Novatores, contra quos *Trid. sess.* 25. definivit. I. Ecclesiam potestatem habere illas concedendi. II. Indulgentias defunctis prodesse.

Q. 9. *Qui potestatem habeant Indulgentias largiendi?*

R. Jure Divino Papa solus; Matt. 16. *Quodcumque solveris, erit solutum.* Iure vero Canonico, annuente Papa, Episcopi, Cardinales, Legati a letere; sed *partiales* tantum.

Q. 10. *Quot ad Indulgentias lucrandas requirantur?*

R. Tria I. Status fidelis non excommunicati. II. Status gratiae saltem in ultimo opere injuncto. III. Integra injuncti operis executio.

Q. 11. *Qnibus applicari valeant Indulgentiae?*

R. *Vivis* potestate judiciali, illos absolvendo. *Defunctis* potestate dispensativa, illis applicando. Plerique putant, Indulgentias prodesse, quibus vult Deus. Alii prodesse affirmant, quibus vult lucrator.

Q. 12. *Quis sit Indulgentiarum fons, seu fundus?*

R. Sunt merita Christi, et illorum Sanctorum, quorum satisfactio poenam excessit eorum culpis debitam; B. Virginis praesertim, quae peccatum nullum, et merita multa habuit.

CAP. III.

DE MUNDI FINE.

Mundi finem tria spectant: aliud *antecedens*; idest Antichristus: aliud *concomitans*, idest terrae conflagratio: aliud *subsequens*, seu finale Judicium. Adeoque.

ART. I.

De Antichristo.

Q. 1. *Quid haeretici; quidve Catholici de Antichristo sentiant?*

R. Haeretici jactant Antichristum advenisse post priora saecula, et esse Papam, ejusque Regnum Romanam Ecclesiam. Catholici credunt, Antichristum venturum, et a Judaeis recipiendum circa mundi finem, ex illo Christi Jo. 5. *Ego veni, et non recepistis: alius veniet, et recipietis.*

Q. 2. *Quod nomen erit; et qui Antichristi character?*

R. Nomen ignoratur: nam in *Apoc.* numero 666. obscure indicatur. Character erit sigillum, quod in fronte imprimat, vel in dextera suis sectatoribus, ut ipsi soli vendere, ac emere valeant; *Apoc.* 13.

Q. 3. *Quae vita erit; quaeve mors Antichristi?*

R. Dolo fiet Rex Judaeorum. Exercitus ejus ut arena maris erit. Sibi subjiciet decem Reges. Adorare ut Deum se faciet. Ut magus famosus mira operabitur. Regnabit annis tribus cum dimidio. Ei se opponent Enoch, et Elias. Interficietur a *Spiritu Dei*, fortasse ab Angelo: Haec omnia ex *Daniel. Apoc. et Apost.* liquent.

ART. 2.

De Terrae conflagratione.

Q. 1. *Quid sit terrae conflagratio?*

R. Est ejus resolutio igne peracta: II. Pet. 3. *Elementa calore solventur; terra et ejus opera exurentur.* Causa erit Deus, et natura: nam Matt. 24. *Stellae de coelo cadent*, idest ignei globi, qui cum igne subterraneo erumpente terram accendent.

Q. 2. *An fide constet mortuorum resurrectio?*

R. Ita est. Nam illam Sadducaeis negantibus ait Christus Matt. 22. *Erratis, nescientes Scripturas.* Et illis sic instantibus; *Quam uxorem sumet, qui septem habuit?* respondit; *In resurrectione neque nubent, neque nubentur.* Et Matt. 24. *Surgite mortui.*

Q. 3. *An idem, quod deponitur, corpus resumetur?*

R. Ita est. Nam Act. 3. Resurrectio vocatur *Apocatastasis*, idest *restitutio*, quae non est nova formatio, sed reformatio. Fiet vero ignescente terra; 1. Cor. 2. *Dies Domini* (Judicii) *in igne revelabitur.*

Objic. Corpora a feris devorata in alienam transeunt substantiam. Ergo vel non erit resurrectio; vel non idem corpus resumetur, sed aliud creabitur = R. Neg. Cons. Nam in corpore devorato forma destruitur, non materia prima; et haec Dei virtute redibit ad formam justi corporis.

ART. 3.

De Judicio Finali.

Q. 1. *Quid sit ; et an erit Finale Judicium ?*
R. Judicium dicitur *Finale*, quod fiet in mundi fine. Dicitur etiam *Universale* ; quia de omnibus erit hominibus, qui fuerunt. Id fidei res est : nam Matt. 24. *Surgite mortui, venite ad Judicium.* Et Apoc. 20. *Vidi magnos, et pusillos, et libri aperti sunt, et judicati sunt secundum opera eorum.*

Q. 2. *Quo modo, et loco fiet finale Judicium?*
R. Locus omnino certus non est. Vulgo dicitur *Vallis Josaphat*, ex illo Joel. *Congregabo omnes gentes in vallem Josaphat.* Modus etiam incertus est, ex *D. Th. q.* 88. *art.* 21. At juxta Scholasticos, *mentalis* erit in discussione, ac in sententia *verbalis.* Valde tamen terribile juxta Scripturas erit, Patres, ac Theologos.

Jesus Christus, qui creditur esse judicaturus, Auctorem habere dignetur, et Candidatos ad dexteram suam, ut illud laetabundi sint audituri : *Venite benedicti, percipite Regnum* ; fiat, fiat.

FINIS.

INDEX

TITULORUM, RERUMQUE NOTABILIUM THEOLOGIAE MENTIS.

TRACTATUS II.

TRACTATUS III.

TRACTATUS IV.

TRACTATUS V.

TRACTATUS VI.

TRACTATUS VII.

TRACTATUS VIII.

TRACTATUS IX.

TRACTATUS X.

ADDIZIONE.

IL MISTERO DELLA SALUTE

O SIA

LA PREDESTINAZIONE ALLA GLORIA.

Ordine mirabile fra la volontà di Dio, e quella dell' Uomo: fra la grazia, e l' arbitrio. Prodigio di Divina regolatrice Sapienza, e d' infinita trionfatrice Misericordia

CONFORTO ED IMPEGNO DELL' UOMO

Per essere un tal Mistero così ordinato da Dio, che si salva chi vuol salvarsi; e si danna chi vuol dannarsi, senza eccezione.

TRATTATINO

DEDICATO

AL

DIVIN SALVADORE.

Non posuit nos Deus in iram; sed in acquisitionem salutis.
Dio non ci ha creati, perchè fossimo gli oggetti di sua collera; ma perchè conseguissimo l'eterna Salute. 1. *Thess.* 5.

Qui creavit te sine te, non salvabit te sine te.
Quanto è vero, che Dio da se solo ci abbia creati; tanto è certo, che non ci salverà da se solo.

AUGUST. *de Verb. Ap.*

AL DIVIN SALVADORE

AMMIRABILE COMPOSTO
DI DIVINA ED UMANA NATURA
NELLA SOLA PERSONA DEL VERBO
FATTO CARNE NEL CASTO SENO DI MARIA
FIGLIO DI DIO E FIGLIO ANCOR DI DONNA
PARTO DI VERGINE E CREATORE DI SUA MADRE
VERO DIO ED UOMO VERO
FATTO DAL NULLA E FATTORE DEL TUTTO
PICCOLO E GRANDE FINITO ED INFINITO
IL QUALE
COLLA SUA VITA E MORTE DI CROCE
A PREZZO RIGOROSO DEL SUO SANGUE DIVINO
SODISFATTO INTERAMENTE AL PADRE
L'UOMO COPIOSAMENTE REDENTO
LACERATO IL DECRETO DI MORTE
CAGIONE DIVENNE
DI ETERNA SALUTE.
L'UMILE AUTORE DI QUEST'OPERETTA
IN ARGOMENTO DI SINCERO AFFETTO
COL DONO ANCORA DI TUTTO SE STESSO
L'OFFRE LA DEDICA LA CONSAGRA.
COSI' SIA.

AL DIVIN SALVADORE.

SONETTO

DEDICATORIO.

A Voi, che vero Iddio, ed Uomo vero
Un sol Soggetto siete, un sol Signore,
Dell' Uomo ancor perduto il Salvadore,
Si offre quest' opra con rispetto intero.

Perciò l' è intitolata il Gran *Mistero*
Della Salute, che per solo amore
Oprar voleste, mosso il vostro Cuore
Dal zelo di pietà tutto sincero.

Gradite, o Voi Gesù, non rigettate
L' ossequio, per l' onor del vostro Nome,
Di chi da Voi assunse il suo Cognome.

Egli è, che Voi di grazie ricolmate.
Egli è, che spera in Voi, e Voi sol ama.
Egli è, che di *Gesù* tuttor si chiama.

P R E A M B O L O.

Così è; non occorre dubitarne. L' obbietto, e fine di quanti Misteri disegnò Egli Dio fin ab eterno, *ed ha poi operati nella pienezza del tempo, fu certamente il gran Mistero dell' Umana Salute. La privilegiata creazione dell' Uomo, l' Incarnazione prodigiosa del Verbo, la Passione di Gesù Cristo, e sua morte in Croce; quanti da ciò ne seguirono altri Divini Misteri, tutti non ebbero di mira, se non la salvezza dell' Uomo. A conseguirla non ostante infallibilmente, fa d' uopo esservi stato predestinato. Tal predestinazione l' è un decreto, emanato da Dio, di conferir la gloria. Non vi fu che un solo Ambrogio Caterino, che disse potersi alcuni salvare senza predestinazione alla salute. Questa la limitò, e riconobbe in alcuni Santi soltanto più insigni. Tuttocchè non sia stata tal dottrina condannata, niuno volle mai adottarla. Iddio, dice l' apostolo, glorifica i suoi predestinati;* Quos praedestinavit, et glorificavit; *Rom. 8 Non glorifica dunque, nè si salvano i non predestinati. Ma come abbia Dio predestinati gli Uomini? A suo mero genio, e beneplacito; o pure a riguardo de' loro meriti? Questo l' è un capo d' interminabile perpetua lite. Non si parla già di riguardo a' meriti di Gesù Christo. L' è punto di fede, che la predestinazione in vista di tali meriti fu decretata;* Praedestinavit per Jesum Christum, *Ephes. 1. La somma della controversia consiste nel ricercarsi, se tal decretazione fu* gratuita, *ed a solo beneplacito di Dio; o pure fu* rimuneratoria, *ed a riguardo de' meriti preveduti dell' Uomo. Il certo è, che temono i Sagri Oratori di promulgar* gratuita *la predestinazione alla gloria. La* rimuneratoria, o *sia* meritoria *da per tutto la spacciano, e liberamente. La prima, che a pochi è limitata, spaventa e disanima. La seconda, che si dilata per quanti vogliono salvarsi, conforta ed impegna l' Uomo. O conso-*

lazione! il dir; se voglio, son predestinato, e mi salvo. *Questa fu dottrina di San Bonaventura, di Alesandro Ales, e di tanti altri Padri, e Teologi. La stessa sarà pur la nostra in questo Trattatello. Ci protestiamo intanto di non offendere punto que'sagri Teològi, che sentimenti avessero contrarj ai nostri. Sottomettiamo ancora quanto diremo all' inerrante giudizio della Cattolica Romana Chiesa. In contrasegno di che, a sua gloria cantaremo sempre umili, ossequiosi, ubbidienti come siegue* :

SONETTO.

STABILITA', ED INERRANZA DELLA CHIESA.

Portae inferi non praevalebunt adversus eam.
MATT. 6.

Feral tempesta insorga, e la procella
Dal cupo abisso, che mai vacillante
Sarà la Chiesa; ma ferma, e costante:
Poicchè di Pietro eletta Navicella.

Frai mostri delle Sette vaga, e bella
Risalta; e nel suo dir anche inerrante;
Dell' Oste infido e sempre trionfante
L' abbatte, lo confonde, lo flagella.

O che l'intero Corpo dei Pastori;
O che di loro il Capo in Trono assiso
Decreta; già spariscono gli errori.

Or quanto in questi fogli scopre il viso,
Dannata sia dottrina, e vilipesa;
Se pur così la cre[illegible] Chiesa.

IL MISTERO DELLA SALUTE

O SIA

LA PREDESTINAZIONE ALLA GLORIA

CONFORTO ED IMPEGNO DELL' UOMO.

Ei sol si salva, chi si vuol salvare.
Ei sol si danna, chi si vuol dannare.

ART. I.

Coloro si salveranno, che siano stati alla salute predestinati, a riguardo di Gesù Cristo; *Praedestinavit per Jesum Christum*, *Ephes.* 1. Ma tal predestinazione come fù decretata? In un modo gratuito, o più tosto oneroso? A puro genio, e beneplacito di Dio; o pure a riguardo delle fatiche, ed opere buone, che farebbe l'uomo? Prima di prevedersene i meriti; o anzi dopo tal previsione? Dicono altri, che sia la predestinazione alla gloria gratuita, ed a beneplacito di Dio. Noi però diciamo, che sia laboriosa, e rimuneratoria. O piacesse al Cielo, che gratuita fosse la predestinazione, e senza dipendenza dai meriti dell'uomo! Tutti per verità predestinati saressimo: e Dio a non fallir nel suo disegno, farebbe di tutto, ed impegnerebbe finanche ai prodigj la sua potenza. Tanto, fratelli, vedremo, se contempleremo attenti, e senza spirito di partito, quel grazioso ritratto, che di Dio ci esibisce la fede. Iddio è, che sebbene sia in infinito, e per natura beato;

nè abbia bisogno di alcuno; amò non ostante fin ab eterno l'uomo, cosicchè col decreto della di lui creazione, dallo stato di mero possibile a quello lo trasferì di futuro, cioè di dover esistere un tempo. Iddio è, che giunta la pienezza del tempo già prefinito, per l'uomo solo ne tenne colle Divine Persone special consiglio, *faciamus hominem*: nell'uomo solo scolpir volle il suo Divino ritratto, *Ad imaginem nostram*: l'uomo solo estrar si compiaccque dallo stesso suo cuor Divino; tal è la forza di quella voce *Inspiravit*: Iddio è che ordinò l'uomo nullameno, che al possedimento di sua Divina Essenza, che val quanto dir, capace lo formò di un ben infinito. Che più? Iddio è che vedendo l'uomo caduto, e per lo peccato già schiavo del demonio, e vittima dell' Inferno, volle per sestesso riscattarlo a prezzo di sangue, di vita, di morte in croce: in conseguenza più assai ora l'ama; perche assai più gli costa. Or se la predestinazione decretata si fosse a solo beneplacito di Dio; dopo tanti, e tali contrasegni dell'amor suo in verso l'uomo, chi non direbbe che tutti siamo predestinati? E perche dunque pochi sono i predestinati, e non tutti? Bisogna esser stupido per non conoscere, o cieco per non vedere, che la cagione ne sia la predestinazione, non a solo beneplacito di Dio; ma sibbene a riguardo de' meriti dell' uomo. E poiche previde Dio, che pochi si sarebbero affaticati, per conseguir con de' loro meriti la gloria; pochi perciò son i predestinati ad essa.

ART. 2.

Per altro, quanto di sopra si è detto, non è l'intero ritratto, che di Dio ci presenta la fede. Altri caratteri vi sono, e lineamenti, che ben considerati sempre meglio ci scuoprono, che la predestinazione non sia gratuita, ed a beneplacito; ma laboriosa bensì, e rimuneratoria. Iddio, per titoli di creazione insiem, e di redenzione l'è nostro Amico, Fratello, e Padre. Or chi mai fù quell'Amico, quel Fratello, quel Padre così spietato. ehe potendo a suo arbitrio liberar dalla morte tutti, quanti sono gli Amici, fratelli, e figli, abbia voluto pochi soli sottrarne, senza veruna pietà per tutti gli altri? Che se pur si udì ne' secoli tal mostro di crudeltà; potremo imaginarlo noi nel nostro amantissimo, e pietosissimo Padre Dio? E perche dunque così pochi con predestinargli, ha liberati dall'eterna morte, lasciando tutti gli altri nello stato di perdizione? Sarà Egli forse de' pochi Amico, Fratello, e Padre; e degli altri estraneo, nemico, e tiranno? In vano si oppone la viziata natura: poiche questa Natura fù già da Gesù Christo col suo sangue guarita; *Livore ejus sanati sumus.* Per tutti gl' individui di questa Natura volle morir in croce; *Omnes mortui sunt, et pro omnibus mortuus est*, II. Cor. 5. In questa natura ci chiama figli, amici, e fratelli. Di questa natura sono i pochi, e tutti gli altri. Perche dunque limitarsi a così pochi la predestinazione? Perche lasciarsi un numero senza numero in abbandono? Non è questo un destinargli all'eterna dannazione? Ma ripetiamolo pure: di una catastrofe così funesta chi ne

sarà l'immediata cagione? L'original peccato forse, che infettò i figli tutti di Adamo? Ma questo, e tutti gli altri peccati non gli addossò il Padre Dio all'umanato suo figlio? Non compensò questo commun Redentore l'offesa, ed irritata Divina giustizia condegnamente, col Sagrificio sanguinoso di sestesso? Perchè dunque sodisfarsi per tutti, e predestinarsi pochi? Quale può esserne il motivo, e la ragione? Mio Dio! Mio Dio! Si dice, che così avete Voi voluto; così vi sia piaciuto; che la predestinazione de' pochi, lasciati in abbandono tutti gli altri, derivata sia dal vostro puro genio, e beneplacito. Ma se un tal sentimento non si accorda punto col vostro paterno, amante, pietoso cuore; siamo costretti a dir anzi, che la preveduta fedeltà de' pochi, e contumacia de' molti, l'unica cagione sia della predestinazione degli uni, e riprovazione degli altri.

ART. 3.

Egualmente luminoso è quell' argomento, che dalla misericordia deriva del nostro Dio. Mille volte si esalta, ed in mille maniere questa misericordia nelle Divine Scritture. Che fastosa ella s'inalzi sopra tutte le opere di Dio; che si dilati per tutte le generazioni de' secoli; che le sue mosse nè numero abbiano, nè confini; questi, e somiglianti elogj spesso si ripetono alla Divina misericordia. Nè sono di numero inferiori, e di grandezza quegli elogj, che si fanno a Dio stesso misericordioso. Diremo tutto col solo dir, che essendo Egli sommamente geloso di sua gloria, la manifesta sopra tutto quando usa misericordia, e perdona; *Exaltabitur parcens*. Al che allude la

Chiesa con dir, che Dio manifesta la sua onnipotenza, piucchè in altro, coll'usar misericordia, e perdonare; *Omnipotentiam tuam parcendo maxime, ac miserando manifestas*. Or chi non si avvisa, che con istabilirsi gratuita, ed a beneplacito la predestinazione, quasi aboliti restano tanti elogj di Dio misericordioso, e di sua misericordia? Ed affinchè chiudasi l'adito a qualunque meno favorevole interpretazione, richiamiamo un oracolo, che decisivo può dirsi a favor della nostra dottrina. L'oracolo è dell'Apostolo S. Giacomo, dove dice che la misericordia di Dio trionfatrice s'inalza sopra la sua Divina giustizia; *Superexaltat misericordia judicium*, Jacob. 2. Quì però è da notarsi, che nell'original Testo greco non dicesi *Superexaltat*, ma bensì *Superexultat*, cosicchè l'oracolo nel natural suo senso, e costruzione vuol dire, che *Misericordia exultat super judicium*; la misericordia trionfa della giustizia. È cosa chiara poi, che la misericordia riguarda i predestinati, ed i riprovati la giustizia senza contradizione. Ora con istabilirsi a puro genio, e beneplacito di Dio la predestinazione di pochi, e la riprovazione di molti, non già la misericordia sopra la giustizia, ma questa sopra di quella vittoriosa esultarebbe. Ed oh Dio! E qual'orrore farebbe ai fedeli, quale stragge di loro speranza, se udissero che la giustizia di Dio sia maggiore della sua misericordia? Chi direbbe più; oh misericordia di Dio, voi siete il mio rifugio, e conforto; voi sola potete salvarmi; in voi ripongo la mia confidenza? Ad evitar dunque tanto scandalo, ed allontanar da Dio quest'ingiuria, bisogna dir che pochi sono i predestinati, perchè di pochi ne previdde Dio la fedeltà, ed i meriti; e molti sono

i riprovati, perchè di molti la contumacia, ed i demeriti ne previdde.

ART. 4.

Nulla inferiore agli antecedenti quell' argomento si manifesta, che poggia sull' immobile base dell' imparzialità di Dio. Egli non distingue il giudeo dal greco; *Non est distinctio Judaei, et Graeci*; Rom. 10. Egli quanto è ricco, liberale altretanto si mostra con tutti senza eccezione; *Dives in omnes*: e basta invocarlo di cuore, per essere salvo; *Quicumque invocaverit, salvus erit*, Ibid. Egli non è affatto accettator di persone, nel punto dell' eterna salute specialmente; *Non est personarum acceptor Deus*; Act. 10. Egli tutto ciò volle comprovarlo col fatto in quella gran tovaglia, che mostrò all' Apostolo Pietro piena d' ogni specie d' immondi animali; *In qua erant omnia quadrupedia, serpentia, volatilia*; Ibid. Or questo grazioso ritratto, che di Dio ci presenta la Scrittura, la Religione, la Fede, sfigurato per verità, e deforme diverrebbe, se dalla stessa commune massa degli Uomini, a suo genio e beneplacito pochi se ne scegliesse, lasciando tutti gli altri nello stato di perdizione. Potrebbono lagnarsi quest' infelici, e dire: » Come, o Dio? » tutti senza eccezione siamo stati per il Cielo » creati: tutti egualmente abbiamo peccato nel » nostro primo Padre Adamo: tutti copiosamen» te dall' Umanato vostro figlio siamo stati reden» ti: tutti sinceramente Voi volete che siano sal» vi. E perchè poi, ad eccezione di pochi, la» sciarci nel misero stato di eterna morte? Per» chè non predestinarci, come gli altri? Perchè

» tanta parzialità con alcuni soltanto? « Ne giova dir, che perduto per l'originaria colpa il diritto al Cielo, può Egli Dio senza ingiuria degli altri, e senza essere accettator di persone, a suo beneplacito predestinarvi alcuni. Conciosiache, siccome parziale sarebbe un Padre, che de' figli egualmente rei, altri punisse, beneficasse altri; così pure sarebbe il Padre Dio, se degli Uomini rei egualmente in Adamo, alcuni a suo genio predestinasse, altri riprovasse. E poi, quel perduto diritto al Cielo, lo ricomprò Gesù Cristo a prezzo di sangue sparso; lo fondò nel fine della Redenzione, come prima nel fine della creazione; e lo sigillò colla sua sincera volontà, che tutti senza eccezione siano salvi. Se dunque accettator di persone sarebbe Dio, nella predestinazione gratuita, ed a genio; bisogna dir, che sia questa laboriosa, ed a riguardo de' meriti preveduti.

ART. 5.

Neppure agli altri la cede l'invincibile argomento, che dalla perfetta Redenzione deriva. Fù questa già da Davide antiveduta copiosa; *Copiosa apud eum redemptio.* Dopocchè fù eseguita, la riconobbe finanche soprabbondante l'Apostolo; *Superabbundavit et gratia*; Rom. 3. Il frutto di questa Redenzione fù certamente la salute del genere Umano, per la colpa già perduto; *Venit filius hominis salvum facere quod perierat*; Luc. 19. Sappiamo non ostante da Dio stesso, che di tutti pressocche infiniti Uomini, pochi effettivamente si salvano; *Si pauci sunt, qui salvantur*? Luc. 13. Questo nasce dal non applicarsi efficacemente a tutti il frutto della Redenzione. Ora chiediamo

noi, da chi ripetersi il difetto di quest' efficacia? Da Dio, che non vuol così applicarla; o dall' Uomo, che per la sua contumacia, non vuole che gli sia così applicata? Da Dio nò; perchè a qual oggetto morir per tutti, *Pro omnibus mortuus est*, se non voleva che a tutti giovasse? Non sarebbe in tal guisa morto a caso, e senza consiglio, spargendo inutilmente per un numero di Uomini senza numero il suo sangue? Non si lagna Egli, che in vano ha sofferto stenti, e fatiche per tutti, che in vano ha sparso il sangue per tanti, che periscono? *Ergo in vanum laboravi? Quae utilitas in sanguine meo?* Psalm. Non sarebbeno illusorie le sue lagnanze, se a suo beneplacito a pochi applicasse il frutto di sue fatiche, il prezzo del suo sangue? Non porrebbe insultarlo l'empio con dirgli; *Tu stesso vuoi, e fai che giovi a pochi; e ti lagni?* Dall' Uomo dunque, che per la sua contumacia non vuol, che se gli applichi efficacemente la Redenzione, deriva che questa si limiti ai pochi, che vogliono. Il dirsi che la Redenzione sia copiosa, perchè Gesù Cristo morì sufficientemente per tutti, e per pochi efficacemente; ciò dicesi a puro capriccio, senza verun appoggio, ed è una illusione manifesta. Non è forse uno scheltro, un fantasma, un ombra di redenzione quella *sufficiente* soltanto redenzione, che nè da Dio si farà mai, nè dall' Uomo potrà mai farsi efficace? Non è forse un far poco conto del sangue di Gesù Cristo, se potendo Dio applicarlo efficacemente a tutti, a suo genio a pochi soltanto così l'applicasse? Ad evitar intanto assurdi così enormi, bisogna conchiudere che l' Uomo stesso colla sua corrispondenza, o contumacia fruttuosa si rende, o inutile la redenzione tuttochè copio-

sa; ed in conseguenza con suoi meriti, o demeriti s'include, o si esclude dal decreto della predestinazione.

ART. 6.

Non di minor peso, e forza è l'argomento che ci esibisce la volontà di Dio, per rapporto alla salute. Vuol Egli sinceramente, che gli Uomini tutti si salvino senza eccezione. Non vi ha ragion evidente in contrario, che ci rimuova del senso letterale; *Vult omnes salvos fieri*; 1. Th. 2. Se tutti peccarono, e morirono in Adamo, per tutti ancora quanti morirono, morì Gesù Cristo a fin di salvargli; *Omnes mortui sunt, et pro omnibus mortuus est Christus*; 2 Cor. 5. Chi vuole con sincerità, e può far ciò che vuole, certamente non lascia di farlo. Se non lo fà, sarebbe questo una prova evidente, che o non vuole, o non può farlo. Or se la predestinazione fosse gratuita, ed a beneplacito di Dio, siccome vuol Egli che tutti si salvino, così tutti avrebbe predestinati. Voler tutti salvi, e non predestinar tutti, una volontà sarebbe questa non già vera, e sincera; ma finta ed ingannatrice. Questo in Dio non può neppure imaginarsi; e l'imaginarlo sarebbe un eresia manifesta. Come và dunque, che non tutti, ma pochi si salvano, perchè pochi sono i predestinati? Da chi dovrà ripetersi un caso così funesto? Da Dio nò; perchè, o nò vorrebbe, o non potrebbe salvar tutti con predestinargli: due assurdi. Dall'Uomo dunque da Dio preveduto contumace, ingrato, e senza meriti. E poicchè pochi previdde Dio, che impegnati si sarebbero a meritare; pochi perciò predestinò Egli all'eterna Salute, benchè voglia che tutti si salvino. Ricor-

rere a quella distinzione di volontà in Dio, *antecedente*, e *conseguente* non è, che un mal sicuro asilo. Il dirsi, che coll' *antecedente* voglia tutti salvi, ma senza predestinargli; e pochi colla *conseguente*, e con predestinargli gratuitamente; questo non è, che un puro ritrovato senza verun appoggio. Che sorta di volontà è mai quell' *antecedente*, che vuol tutti salvare, senza salvarne neppur uno con predestinarlo? Con ragione perciò gravissimi Teologi, o rimuovono da Dio come ingiuriosa tal *antecedente* volontà; o la spiegano altrimenti. Le Divine Scritture, la fede, la ragione stessa non ci esibisce che una sola volontà in Dio, semplice realmente, e virtualmente doppia, cioè *assoluta*, e *condizionata*. La prima riguarda ciò, che dipende da Dio solo, e sempre si adempie; *Omnis voluntas mea fiet*; Isa. 46. La seconda riguarda ciò, che dipende dall' Uomo ancora, per di cui difetto non sempre si adempie; *Si quis mihi aperuerit*, *intrabo*; Apoc. 3. Le altre divisioni di volontà, *efficace*, *inefficace*, *antecedente*, *conseguente*, ec.; sono pure invenzioni, riguardo alla salute. Or la volontà di Dio per la Salute di tutti, non è *assoluta*, perchè tutti così sarebbero predestinati, e salvi. È *condizionata* dunque, cioè se anche l'Uomo voglia farsi predestinato, e salvo. E poichè pochi vogliono impegnarsi, e meritare; pochi perciò sono i predestinati, e pochi si salvano. Non è dunque la predestinazione *gratuita*, ed a solo beneplacito di Dio: ma onerosa, ed a riguardo de' meriti dell' Uomo. Perciò ripetiamo: si salva, chi vuol salvarsi; si danna, chi vuol dannarsi.

ART. 7.

Un argomento però, che colla sua virtù sopra tutti gli altri s' inalza, l' esibisce l' Apostolo con asserir francamente, che Dio predestinò coloro, che previdde conformi all' Umanato suo Figlio; *Quos praescivit, et praedestinavit conformes fieri etc.* Rom. 5. La stessa verità conobbe S. Giovanni nell' Apocalisse, quando gli fu rivelato che solo salvati si sarebbono coloro, che si ritrovassero scritti nel libro della vita di Gesù Christo, cioè che l'avessero imitato; *Non intrabit, nisi qui scripti sunt in libro vitae Agni.* Se qualche volta nella Divina Scrittura la prescienza dinoti predestinazione, ciò nell' oracolo sudetto di S. Paolo non ha luogo; perchè darebbe questo ridicolo senso: *Iddio ha predestinati coloro, che ha predestinati.* E se talora prendasi la predestinazione per una predilezione; tal senso è alieno dallo scopo dell'Apostolo; poichè dal contesto apparisce, che parla di conformità con Gesù Cristo paziente, per essere poi con Esso lui gloriosi; *Si compatimur, ut et conglorificemur.* Ibid. Lo stesso senso vi han riconosciuto i Santi Padri della Chiesa; e chi tutti volesse richiamargli, sarebbe lo stesso, che mai finirla. Bastano per tutti gli altri due soli, cioè S. Ambrogio, e S. Agostino, degni per verità di essere preferiti per la loro dottrina, ed eloquenza. Il primo a note chiare asserisce, che Dio predestinò alla gloria coloro, che ne previdde i meriti; *Quorum merita praescivit, eorum praemia praedestinavit*; lib. 5. de fide c. 3. Il secondo, cioè Agostino in una delle sue Prediche dice così: Molti vogliono sapere, perchè Iddio altri giu-

dica degni del Cielo, ed altri nò; *Hunc dignum habet, et illum indignum.* Ascoltami o Uomo; l'uno lo giudica degno per i suoi meriti; l'altro indegno per i suoi demeriti; *hunc dignum habet pro bonis operibus; illum habet indignum pro malis operibus.* Molti, ad evitar la forza di questi, e simili oracoli finanche della Divina Scrittura, stabiliscono senza fondamento in Dio un ordine d'*intenzione*, onde Dio prepara soltanto gratuitamente la gloria; ed un ordine di *esecuzione*, con cui la conferisce secondo i meriti. Quindi dicono, che qualora la Scrittura, ed i Padri parlano della gloria in rapporto ai meriti, intendono la gloria come conferita, non già come preparata. Ma perchè tal arbitraria interpretazione resterà confutata nell' articolo nono; qui conchiudiamo, che la predestinazione, attesa la chiarezza, e la forza degli argomenti semplici, e senza raggiri, non già gratuita sia, ma laboriosa.

ART. 8.

E quì non ci rincresca ripetere alcuni sentimenti rammemorati negli articoli precedenti, che raccolti formeranno un altro argomento non men efficace, a favor della predestinazione rimuneratoria, cioè a riguardo de' meriti antiveduti. Sembra per verità incredibile, che un Padre Dio dopo averci egualmente creati per il Cielo; dopo averci copiosamente riscattati dall' inferno; voglia poi a suo solo genio, e piacere pochi predestinar alla gloria, e riservar tutti gli altri ad un eterno supplicio. E come? Tutti morirono in Adamo; *Omnes mortui sunt*; II. Cor. 5. per tutti morì Gesù Cristo, *Pro omnibus mortuus est Chri-*

stus, *Ibidem*. E poi ad eccezione di pochi destinar tutti gli altri ad un fuoco divoratore? Il delitto è commune; commune la pena; così diversa la sorte? E questo non per altro motivo, e ragione, se non perchè così Dio vuole, così li piace? E si crederà questo in un Padre Dio così tenero, così pietoso, che per restituir a tutti la vita, volle perdere la sua? Come d'un istessa viziata Natura; e da lui col suo sangue guarita, pochi eletti, e gli altri tutti riprovati? E dove è più quella misericordia, che si esalta come l'attributo a Dio più caro, e come trionfatrice della Divina giustizia. Il dirsi, che tal riprovazione di molti non sia *positiva*, cioè destinazione all'eterna pena; ma solo *negativa*, cioè esclusione dalla gloria non dovuta; questo non è che una enorme illusione. Se agli esclusi non altro sovrasta, nè altro essi si attendono che pena eterna; l'essere esclusi, e l'essere condannati non è forse lo stesso? Siccome l'elezione de' pochi è destinargli alla gloria; così l'esclusione degli altri è deputargli alla pena. La riprovazione *negativa* non è, che un ritrovato artifizioso ad evitar le inevitabili difficoltà d'una predestinazione a beneplacito. Sì fatto imaginario sutterfugio non mai ebbe, nè avrà successo giammai. Il rammemorar l'original peccato, la massa dannata, il decreto di morte, ec., tutto l'è troppo a Gesù Cristo ingiurioso, per udirsi senza orror, e spavento. L'originale con tutti gli altri peccati volle Dio Padre, che suo figlio gli addossasse a conto suo; *Posuit in eo iniquitatem omnium nostrum*; Isa. 53. Volle ancora l'eterno Divin Padre, che la viziata natura restasse guarita col sangue Divino del suo Figlio istesso; *Livore ejus sanati sumus*; Ibidem.
*

Volle finalmente, che suo figlio ancora il decreto di morte lacerasse, contro i figli di Adamo emanato, *Delens quod adversus nos erat chyrographum decreti*; Coloss. 2. Se dopo tanto, che operò Egli Dio a favor dell' Uomo, pochi sono i predestinati, e tutti gli altri riprovati; che bisogna conchiudere? Non altro, se non se che d'un caso così funesto, e luttuoso non già Iddio l' Autor ne sia; perchè a suo talento, e genio riprova, ed elegge; ma l' Uomo sibbene, preveduto da Dio fin da secoli eterni, o impegnato colle sue opere meritorie, o ritroso e ribelle con suoi demeriti. Veggasi ora, se gratuita sia, ed a beneplacito la predestinazione; e non piuttosto a riguardo de' meriti, e rimuneratoria. Veggasi quanto sia vero, che si salva, chi vuol salvarsi; e si danna, chi vuol dannarsi; e l' Uomo può confortarsi con dire: se voglio, sarò predestinato, e mi salvo.

ART. 9.

Ma via; trasandiamo ducento altri argomenti, e di questi rechiamone un solo, che chiamasi argomento *di fatto*. Nel final giudizio la gloria non si darà, che a riguardo de' meriti; *Possidete regnum vobis paratum: esurivi enim, et dedistis*; Matt. 29. Or se i Divini decreti si eseguono nel modo, che si formano; *Quid est quod fuit? ipsum quod futurum est*. Eccles. 1. Siccome dunque l' esecuzione ha di mira i meriti, così pure la decretazione, o sia la predestinazione. Quindi senza verun appoggio si finge in Dio un ordine d' *intenzione*, con cui senza riguardo a meriti si prepara la gloria, ed un ordine di *esecuzione*, onde ai soli meriti si conferisce. A Dio ripugna in un

modo decretare, ed in altro eseguire: altro intendere, ed altro pretendere: l'intenzione gratuita, l'esecuzione meritoria. Se al merito si conferisce il premio, al merito eziandio fù destinato. E poi nell'Uomo si distingue il preparar il premio dal conferirlo; perchè preparato che l'abbia, può cambiarsi e negarlo. Ma in Dio lo stesso è preparar la gloria, che conferirla; perchè una volta preparata, più non può ritrattarsi, e negarla. Se l'Uomo non prepara premj, se non ai meritevoli; ciò molto più deve dirsi di Dio, norma e modello dell' operar dell' Uomo. Nell' oracolo sudetto riferir le opere di pietà *Esurivi*, *et dedistis*, non al destino, ma soltanto al possesso del regno, *ad possidete*, non *ad paratum*; questo non è, che un pensamento arbitrario, senza consiglio e ragione. Se il difetto di pietà *Non dedistis* si riferisce al fuoco finanche preparato, *Qui paratus est*; così pure la prattica di pietà deve riferirsi al Regno eziandio preparato *Paratum vobis Regnum*. Si dirà: il fuoco non fù al demonio preparato per difetto di pietà col prossimo, che allora non vi era: dunque neppure il Regnó fù preparato per la prattica di pietà. Cavilloso, ed insussistente argomento! Col nome di pietà dinotasi ogni opera buona, ed ogni vizio col difetto di essa: ed il vero natural senso è, che siccome il fuoco fù preparato al demonio, in riguardo di sua superbia; così a riguardo della pietà de' fedeli fù preparato il Regno. Dicesi poi fuoco preparato al demonio, perchè lui fù il primo a meritarlo: ma non si nega che sia preparato agli Uomini reprobi ancora; *Discedite in ignem aeternum, qui paratus est diabolo.* Liquidata intanto qualunque difficoltà, resta conchiuso, che la pre-

destinazione non sia gratuita, ed a beneplacito; ma laboriosa, e rimuneratoria; *Possidete paratum Regnum*; *esurivi enim*, *et dedistis*.

ART. 10.

Prima di esporre le principali difficoltà, che sembrano attraversarsi alla nostra dottrina, giovasi richiamar quì un decantato dilemma. Con questo, non vi ha dubio, s' impugna l' esistenza piuttosto della predestinazione, che il modo di predestinare. Ma il di lui scioglimento conferisce più lustro a quanto detto abbiamo finora. Il dilemma, con cui si lusinga il libertino è questo. » O sono predestinato; ed il vizio non mi può nuocere. O » non sono predestinato; e la virtù non può giovarmi. Farò dunque quel', che voglio. Il decreto è già fatto. La sorte decisa non può cambiarsi «. Ma diciamolo pure: a tal sorta di argomentazione ha data l' occasione la predestinazione *gratuita*, che dipende da Dio solo. L' *onerosa* però, che dipende dall' Uomo ancora, non solo smentisce detto dilemma, ma lo spianta dalle radici. *Farò quel che voglio*, dice il libertino; *il decreto è già fatto?* Ebbene: ma si è fatto dopo preveduta la determinazione dell' Uomo al bene, o male. Tal determinazione preveduta già fatta, non può non esser fatta, nè può non avverarsi nel tempo futuro. Nè la prescienza, e previsione di Dio impedisce punto la libertà dell' Uomo. Poichè l' occhio di Dio antivede un oggetto esistente, cioè una deliberazione fatta, non già da farsi: altrimenti nulla vedrebbe. Ecco intanto manifestarsi l' enorme falsità del sudetto dilemma, e l' orribile illusione di chi dice; *Farò quel che*

voglio; *il decreto è già fatto*. Conciosiachè si è fatto sulla libera futura determinazione dell' Uomo preveduta da Dio. In conseguenza, se l'Uomo farà bene, sarà predestinato: nè può dir; *farò quel, che voglio*. Se fosse legitimo il detto dilemma, l' userebbe il demonio logico più sottile de' logici tutti, e non si affannerebbe tanto contro l' Uomo. Il vero dilemma cattolico è questo. O mi piace la virtù; e son predestinato. O mi piace il vizio; e son riprovato. Poichè sulla previsione della virtù, o del vizio predestinò, o riprovò Iddio. A viemeglio intendere tal verità, si ponderi ben ciocchè siegue.

ART. II.

Chi asserisce, che la predestinazione siccome fù decretata fin ab eterno, così tuttavia si decreta; e che l' Uomo, se vuole, può sempre farsi predestinato; l' asserzione sarebbe alla ragione consona, ed alla Religione. L'atto di decretare sempre dura in Dio, ed è sempre lo stesso, come se ora decretasse. Altrimenti cesserebbe Dio di operare, si cambiarebbe, più non sarebbe Dio. A questo allude l'Ecclesiaste ove dice *cap.* 1. che in Dio non vi ha nè priorità, nè posteriorità di tempo, e di cose; poicchè nell' atto suo semplicissimo ogni tempo si contiene, ed ogni cosa. Finanche il Divin Verbo dicesi generato, siccome prima di lucifero ed ab eterno, così oggi ancora ed in ogni tempo; *Ego hodie genui te*; Psal. 1. Se dunque Dio decreta tuttavia la predestinazione, sempre l' Uomo, se vuole, può entrar nel numero de' predestinati senza o ingannarsi la Divina prescienza, o cambiarsi l' ordine di provi-

denza. In effetto: vuol Egli Dio, che si convertino gli empj, *Convertimini.* Tanti di essi non si convertono, e si dannano. Questi dunque non erano predestinati. Se neppure potevano esserlo; a che voler Dio la loro conversione? Per burlargli forse? Per vedergli convertiti, e poi dirgli: *siete reprobi*? Ciò a Dio ripugna. Dunque bisogna dir, che potevano farsi predestinati. Conobbe questa verità il dottissimo S. Ilario, e scrisse ad Agostino così: Se niuno da reprobo può farsi predestinato, a che affannarci tanto colle nostre prediche? *Si de aliis ad alios nemo eccedere potest, quo pertinet jactantia correctionis*? Epist. ad Aug. Sant' Ambrogio ancora dice, che Dio senza cambiarsi lui, sà cambiar sentenza, decreto, e la sorte dell' empio, che si ravvede: *Novit Deus mutare sententiam, si tu noveris emendare delictum*; lib. *de poenit.* Come ciò facciasi? lo sà Dio, che lo fà. Il certo è che sempre l' Uomo; se vuole può farsi predestinato; perchè sempre persevera in Dio l'atto di predestinare. O conforto dunque dell' Uomo! e chi non s' impegnerà per la sua predestinazione? Chi non vede, che si salva chi vuol salvarsi; si danna chi vuol dannarsi?

ART. 12.

La sorte diversa de' bambini, che muojono altri appena battezzati, altri senza battesimo, par che dinoti una predestinazione affatto gratuita, ed una riprovazione almeno negativa. Comecchè son Eglino incapaci di bene, e di male; nè i primi possono essere predestinati a riguardo de'loro meriti, nè i secondi riprovati per i loro demeriti attuali. Siamo perciò costretti a dire, che Dio del-

la stessa viziata natura, altri abbia predestinati a suo beneplacito, altri per giusto giudizio lasciati miseramente in abbandono; poichè l'elezione degli uni si tira dietro l'esclusione degli altri. Così parlano alcuni: ma il loro dire nulla nuoce alla nostra dottrina per la predestinazione laboriosa, e rimuneratoria. Questa non riguarda, se non gli adulti: di questi parliamo: nè ad essi può riferirsi la predestinazione de' bambini. Altro è l'ordine di salute stabilito da Dio per i fanciulli; altro per gli adulti. Nei primi non riguarda Dio, che i soli meriti di Gesù Cristo, perchè non possono essi meritare. Nei secondi, che sono di merito capaci, pretende Dio, e riguarda i loro meriti ancora. De' fanciulli, perchè altri siano, altri non siano predestinati? Questo non lo sappiamo. Degli adulti però, sappiamo, che per i loro meriti, o demeriti sono predestinati, o riprovati. Or secondo la regola di Agostino, non si deve negar il certo degli adulti, come l'abbiamo dimostrato, perchè s'ignori l'occulto de' bambini; *Non negandum apertum, quia non comprehenditur occultum.* E poi, chi sa se il motivo, ne' fanciulli predestinati, siano stati i loro meriti preveduti condizionatamente futuri, cioè se fossero vissuti? Chi sa, se il motivo ne' bambini riprovati, siano stati i loro demeriti preveduti similmente? I futuri condizionati sono sospesi, ed incerti a noi, che non sappiamo se avverarsi debba la condizione, non a Dio che tutto sa; *Omnia nuda, et aperta sunt oculis ejus*; Hebr. 4. Iddio però, ne' bambini glorifica i meriti di Gesù Cristo ad essi applicati, non già i loro preveduti sì, ma non acquistati. Similmente, ne' fanciulli riprovati punisce l'original peccato, che han contratto,

non già i preveduti sì, ma non commessi. Può dirsi, che Dio usi pietà con i bambini riprovati col permettere, che muojono col sol originale, acciò non soffrissero poi pene maggiori per gli attuali, che farebbono, se vivessero. Del resto, ripetiamolo: che sappiamo noi della sorte diversa de' fanciulli? Sono questi arcani a Dio solo riservati. Il certo è, che tal dottrina de' meriti, o demeriti de' bambini condizionatamente futuri, sia più conforme alla bontà di Dio, e volontà che tutti siano salvi. Il dirsi, che ciò sia stato pensamento de' Semipelagiani ancora, non osta; perchè non è questo quel, che in essi ha condannato la Chiesa.

ART. 13.

Credono alcuni, che l'Apostolo, *Rom.* 9. stabilisce la predestinazione gratuita col dire I. Che Dio predestinò Giacobbe, e riprovò Esau, prima di far bene l'uno; e l'altro male; *Cum nondum aliquid boni, vel mali egissent.* II. Che Dio, come il vasajo, dalla stessa massa forma vasi di onore, cioè i predestinati; e vasi di opprobrio, cioè i riprovati; *Aliud vas in honorem, aliud in contumeliam.* III. Che Dio non predestina, nè chi vuole, nè chi corre; ma chi lui vuole per sua misericordia; *Neque volentis, neque currentis; sed miserentis est Dei.* Da questi oracoli rilevano, che la predestinazione gratuita, ed a beneplacito di Dio non sia dubbiosa, ma certa. Ma come non dubbiosa, diciamo noi, come certa? E come furono così stupidi, e ciechi un San Bonaventura con altri Padri, un Alesandro Ales con altri Teologi, che mai si avviddero di tal certezza? Come va, che tanti celebri Oratori predica-

no *laboriosa* la predestinazione, e temono di promulgarla *gratuita*? L'Apostolo I. Secondo più Interpreti, non parla di predestinazione, e riprovazione in ordine *alla gloria*, ma sibbene all'eredità di Abramo, da cui ne fu escluso Esau, ed incluso Giacobbe. E sebbene parlasse in ordine alla gloria, esclude il bene, o male *attuale*, non *preveduto*, siccome dinota la voce *egissent*: ed il senso è, che Dio prevedendo il bene, che fatto avrebbe Giacobbe, e il male di Esau; a tal riguardo predestinò quello, e riprovò questo, primanche che lo facessero. II. Parla l'Apostolo di vasi diversi, che forma Dio secondo lo stato, e providenza presente, siccome forma i cuori nuovi, e duri: di vasi perciò, che possono mutar condizione, mentre si vive in questo mondo. III. Parla l'Apostolo di chi vuole, e corre colle forze della natura, colle quali niuno può meritar, e salvarsi. Non esclude però chi vuol, e corre coll'ajuto della grazia, ed a tal riguardo è predestinato da Dio.

ART. 14.

Vi sono, non vi ha dubio, degli altri Divini oracoli, che sembrano contrarj alla nostra dottrina: ma in verità non lo sono. Conciosiachè I. Disse sì Gesù Cristo ai suoi Apostoli, e Discepoli; Non vogliate temere, o piccolo mio gregge, perchè si è compiaciuto il vostro Padre Dio darvi il Regno Celeste; *Complacuit Patri vestro dare vobis Regnum*, Luc. 12. Ma la voce *complacuit* riguarda il regno della grazia, non della gloria. Altrimenti non avrebbe detto *Complacuit dare*, ma *parare*; poichè la grazia gli era stata data, non

la gloria. II. Dicesi ancora *Act.* 13. che credettero quanti erano stati predestinati; *Crediderunt quotquot praeordinati erant ad vitam aeternam.* Ma qui parlasi di fede *attuale*, non *preveduta*; ed il senso è, che in effetto credettero poi, quanti per questa fede già preveduta erano stati predestinati. III. Dicesi finalmente, *Rom. II.* che non è l'uomo il primo ad esibire i meriti, acciò sia rimunerato da Dio; *Quis prior dedit ei, et retribuetur?* Ma qui apertamente parlasi non di gloria; altrimenti anche la retribuzione, o sia possesso della gloria *retribuetur*, sarebbe gratuito. Ma parlasi di altri doni di Dio, specialmente della vocazione alla fede; poichè prima si dice; Ibid. *Sine poenitentia sunt dona, et vocatio Dei.*

ART. 15.

Comunemente chiamasi l'achille degli argomenti, à favor della predestinazione *gratuita* questo, che siegue. Chi vuol con ordine, prima vuol il fine, indi vuol i mezzi. Così chi vuol andar ai luoghi santi di Gerusalemme, prima pensa a questo viaggio, e poi al modo, e mezzi di eseguirlo. Or Iddio, che più di tutti vuol ordinatamente, prima vuol dar la gloria, e dopo stabilisce i mezzi, cioè i meriti. Eppure quest' invincibile achille caderà subito, e da se stesso, poichè poggia sopra imaginati supposti, e pecca nella sua radice. Chi così argomenta, suppone per cosa certa quella, che si controverte, cioè che la predestinazione dipende da Dio solo, senza riguardo alla volontà, e meriti dell' Uomo. Rispondiamo noi dunque direttamente, secondo la nostra dottrina della predestinazione laboriosa, e meritoria.

Allora chi vuol con ordine, prima vuol il fine, quando questo dipende da lui solo. Ma se il fine dipende da un altro ancora, in tal caso prima prevede se l'altro ancora vuole; perchè non volendo l'altro, in vano vuol egli. Iddio dunque volendo predestinar l'Uomo alla gloria, prima vede se vuol anche l'Uomo meritarla; indi volendo questi, ve lo predestina. Malavveduto Achille! colto sul fatto all'improviso.

ART. 16.

La perseveranza finale sembra la più dura difficoltà da svilupparsi. Questa, dicono i Gratuitisti, di maniera colla gloria si unisce, che può dirsene anche il principio. Chi persevera, dice Gesù Cristo, in fine, cioè in morte, già egli è sicuro di sua eterna salute; *Qui perseveraverit usque in finem, salvus erit*; Matt. 10. Questa la goderà, o subito spirato se non ha debito da pagare; o dopo qualche tempo, se dovrà sodisfarlo. Quindi predestinarsi alla gloria è lo stesso, che predestinarsi alla finale perseveranza, e la predestinazione a questa è la stessa, che a quella. Siccome l'una non sussiste senza l'altra, così al modo stesso l'una, e l'altra fu decretata. Or è di fede, che la predestinazione alla perseveranza sia *gratuita*; *Si gratia, jam non ex operibus*. Lo stesso dunque deve dirsi della predestinazione alla gloria. Ma come lo stesso deve dirsi? Sarà dunque punto di fede la predestinazione *gratuita*? E come và, che la Chiesa non ha definita tal controversia? Che anzi l'ha lasciata in arbitrio de' sacri Teologi? Come và, che dai Santi Padri ancora si difende, non *gratuita*, ma *rimunerato-*

ria la predestinazione? L' argomento istituito sopra la perseveranza finale, non procede a tutto rigor di logica. Perciò conchiude più in là del giusto. Noi lo spianteremo dalle radici un tal argomento, col solo esporre la perseveranza finale nel seguente articolo.

ART. 17.

Sicchè la perseveranza finale, in riguardo a Dio, secondo il Tridentino *sess.* 6. è un dono, ed una grazia di Dio speciale; *Speciale Dei auxilium.* Se ajuto speciale: dunque non è più, che una grazia attuale più valorosa, per vincere in morte la maggiore difficoltà. Dippiù; se ajuto, non è da se stesso efficace; ma dell'Uomo, se vi cooperi. Ed in fatti, dice Dio all'Uomo giusto; Conservati fedele sin'alla morte nello stato di grazia, acciò non riceva un'altro la tua corona di gloria; *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam*; Apoc. 2. Qui parlasi di perseveranza finale, *Usque ad mortem*. Il modo imperativo *Esto*, *Tene* ben dimostra, che dall' Uomo ancora quella dipende. Chi comanda, da un altro attende ciò, che vuole. Derisorio sarebbe quel modo di comandare, se dall'Uomo non dipendesse l'esecuzione del comando. Direbbe con tutta ragione l'Uomo a Dio: *Voi, o mio Dio, mi chiedete ciò, che da me non dipende.* La perseveranza perciò deve riguardarsi come grazia ausiliatrice, che dà il poter perseverare, e come virtù morale, che dà l' atto di perseverare. Come grazia deriva dal solo beneplacito di Dio. Come virtù dipende dal voler l'Uomo cooperar alla grazia. Senza la grazia non vi sarebbe la virtù. Senza la virtù non gioverebbe la grazia. Può rice-

versi la grazia di perseverar dall'Uomo, senza che l'Uomo vi cooperi, e la faccia virtù di perseveranza, e perseveri effettivamente. Or non la sola grazia, ma la virtù di perseveranza l'è indivisibile dalla gloria. In veduta di tal virtù si decretò la predestinazione da Dio. Di questa virtù si parla, quando dicesi che chi persevera in fine, o sia in morte infallibilmente si salva; *qui perseveraverit usque in finem, salvus erit.* O conforto dunque dell'Uomo, che può dir, se in punto di morte sarò fedele alla grazia finale, certamente sarò salvo! Da me dunque, ajutato dalla grazia, dipende l'essere predestinato, e salvarmi.

ART. 18.

Ecco però una nuova difficoltà, dal di cui scioglimento l'intero dipende, e sicuro conforto dell'Uomo. Senza la grazia della perseveranza nè virtù vi sarà di perseveranza, nè predestinazione alla gloria. Or la grazia è gratuita. Così pur dunque sono, ed essa virtù, e la predestinazione. Deve perciò l'Uomo considerar piuttosto il punto dell'eterna Salute, come punto di spavento, e di timore. Deve dir anzi; » misero me! Che ne sa» rà di me! Chi sà, se Dio mi darà in morte » la grazia di perseverare! Chi sa; se dovrò sal» varmi! Qual sarà l'eterna, ed invariabile mia » sorte! « Ma tuttochè salutari siano, e cattolici tali sentimenti; perchè l'Uomo deve sempre temere, e più di sua incostanza, che della Divina clemenza. I Bonaventuristi non ostante sono troppo avveduti per farsi facilmante ingannare, ed occhiuti troppo per non veder le insidie tese nel sudetto argomento. Sarebbono non vi ha dubio

gratuite, come la grazia di perseverare, così la virtù della perseveranza, e la predestinazione alla gloria, se queste due derivassero nacessariamente, o infallibilmente da quella. Ma non è così. La grazia lascia in piena libertà l'arbitrio, da questo ajutato, e cooperante nasce la virtù di perseveranza; ed a riguardo di tal virtù da Dio preveduta si decretò la predestinazione. Il difficile dunque, il forte, il tutto dell' argomento sarebbe la gratuità della grazia. Eppure, o la bontà! o la misericordia di Dio! In questa gratuità pure ritrova l'Uomo il suo conforto, ed insieme un potente motivo d' impegnarsi per la sua salute. Il merito, dicono i sagri Teologi, o è *condegno*, a cui per giustizia si conferisce il premio; o è *congruo*, a cui si dà per convenienza. Il *congruo*, o poggia sulla promessa di Dio, cioè che Dio abbia promesso a tal merito qualche premio, ed ottiene infallibilmente; o poggia sulla sola misericordia di Dio, ed ottiene sì, ma nò infallibilmente. *Veggasi art.* 20. Or la grazia di perseveranza non può meritarsi con merito condegno; perchè non sarebbe dono gratuito: nè con merito *congruo* poggiato sulla promessa di Dio; perchè non vi è tal promessa: ma può meritarsi con merito *congruo* poggiato sulla misericordia di Dio. Un Padre morto per tutti, che vuole la salute di tutti, propenso ad usar pietà con tutti, darà per compassione a chi fa quanto può quella grazia, che dar non deve per giustizia, o promessa. O conforto! che resterà consolidato da ciò, che diremo nel seguente articolo.

ART. 19.

Il più ardente difensor della grazia fu senza fallo il P. S. Agostino. Egli per il corso di anni 22 sostenne trionfator la guerra contro i nemici. Questi furono in ispecialità i Pelagiani, e Semipelagiani. I primi negavano assolutamente la necessità della grazia. I secondi la negavano al solo principio del bene meritario. Il trionfo glorioso, che ne riportò il gran Padre, l'è una prova evidente del suo valore. Or egli parlò in modo della grazia di perseveranza, che pari non ebbe. Niuno perciò come lui solleva, e conforta noi figli di Adamo, trattandosi d'impetrar tal grazia. Parlando Egli di coloro, che per difetto di perseveranza si dannano, inescusabili gli dichiara; *Non se excusabunt dicentes; perseverantiam non accepimus*; lib. 1. persev. c. 6. A chi si lagnasse, soggiugne, direbbesi; persevereresti se volessi; *Dicetur tibi, o homo, perseverares si velles.* Ibid. Dunque secondo questo gran Dottore, Dio ha proveduto l'Uomo del mezzo d'impetrar la perseveranza, tuttochè sia questa dono gratuito, e speciale. Altrimenti potrebbe laguarsi l'Uomo, e dir che senza sua colpa gli sia negata: nè Dio direbbe al reprobo; tu stesso sei la causa di tua perdizione; *Perditio tua ex te*; Osee 13. Illusione poi assai enorme sarebbe il dir, che l'original peccato la cagione sia di negarsi la grazia di perseverare. Un Dio, che amò l'Uomo fin ab eterno; che lo creò per il cielo; che morì crocifisso per l'Uomo; che lo ricomprò perduto; che sborsò per esso l'infinito prezzo del suo sangue Divino; che ora lo ama più di prima, per-

chè tanto gli costa; che ne vuole sinceramente la salute: tutto ciò autorizza l' illusione sudetta. Il mezzo poi di ottener la perseveranza, dice il Santo Dottore, che sia il merito congruo della preghiera; *Hoc Dei donum suppliciter emereri potest*; l. 2. de dono persev. Anzi si avvanza a dir l' illuminato Padre, chè Dio abbia già preparata tal grazia, e dono a coloro che gliela chieggono; *Constat*, o consolante *Constat*! o conforto de' mortali! *Constat Deum, nonnisi orantibus perseverantium in finem praeparasse*; Ibid. Così la sapienza di Dio ha ritrovato, e lasciato all' Uomo il modo d' impetrar la perseveranza, tuttochè non sia Egli tenuto a darla, nè abbia promesso di darla. Se l' Uomo non persevera, e si perde; questo nasce, o perchè per difetto di preghiere non riceve la *grazia* di perseverare; o la riceve, ma non la fà colla sua corrispondenza *virtù* di perseveranza, come sopra *Artic.* 17.

ART. 20.

Il merito poi è un opera degna di premio; *Opus mercede dignum*. Come si notò di sopra, *Artic.* 18. altro è *condegno*, altro *congruo*; e questo secondo impetra o infallibilmente, se vi è promessa di Dio; o non infallibilmente, se non vi ha tal promessa. Dalle seguenti regole si saprà, che possa meritarsi con merito *condegno*; che con merito *congruo* infallibilmente; che non infallibilmente.

Regola 1. Il giusto merita con merito *condegno* la vita eterna. Altrimenti l' Apostolo non direbbe, che tal vita corona sia di giustizia; *Reposita est mihi corona justitiae*. Thess. 4.

Reg. 2. L' empio penitente merita con merito

congruo infallibilmente il perdono, e la giustizia; perchè Dio l'ha promesso alla penitenza; *Poenitemini, ut deleantur peccata vestra.* Act. 5.

Reg. 3. Il giusto, e l'empio penitente non meritano con merito congruo infallibilmente, nè perseveranza, nè altre grazie attuali; perchè non vi ha promessa di Dio; *Si gratia, non ex operibus*; Rom. 11.

Reg. 4. Il giusto, e l'empio penitente possono meritar con merito *congruo* non infallibilmente la perseveranza, e le altre grazie attuali, secondo si è dichiarato *Artic.* 18.

Reg. 5. Chi vive secondo i canoni della ragione, può meritar con merito *congruo* non infallibilmente l'attuale grazia, secondo dicono gli Scolastici; *Facienti quod in se est, Deus non degat gratiam*; perchè Dio la dà, volendo, finanche a chi vive contro la ragione.

ART. 21.

Avvisi di salute.

I. *Non est in alio aliquo salus; nec aliud Nomen est, in quo nos oporteat salvos fieri*; Act. 4. = L'unica cagione di nostra Salute, e tutta la speranza di salvarci egli è l'adorabile Nome di Gesù, che significa Salvadore.

II. *Quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem?* Hebr. 2. = Come potremo evitar la severità del Divino Giudice, come l'eterna dannazione, se saremo convinti di aver trascurato l'affare tanto importante di nostra Salute?

III. *Cum metu, et tremore vestram salutem operamini.* Philip. 2. Affaticatevi nell'unico interessante

affare della vostra Salute; persuasi che sia questo un punto di spavento, e di timore; perchè una volta fallito; non vi sarà più riparo.

IV. *Qui voluerit Animam suam salvam facere, perdet eam.* Matt. 16. = La maniera di salvar l'Anima, certamente l'è quella di darle morte; cioè di mortificarla nelle sue prave inclinazioni, ed appetiti senza compassione veruna, o connivenza.

V. *Quam debit homo commutationem pro Anima sua?* Matt. 16. = Se perderà l'Uomo l'Anima sua, la perdita sarà senza rimedio; perchè non vi sarà prezzo giusto per ricomprarla, nè cambio equivalente al suo valore.

VI. *Non intrabit, nisi qui scripti sunt in libro vitae Agni.* Apoc. 21. = Non si salveranno, se non coloro, che si conformeranno alla vita di Gesù Cristo nostro modello, ed esemplare; poichè questo è l'esser scritto nel libro di sua vita.

VII. *Tene, quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.* Apoc. 3. = Se speri di esser giusto, conservati geloso la giustizia: altrimenti la tua corona di gloria la riceverà in tua vece un altro, che se l'avrà saputo conservare.

VIII. *Nihil ita Deo gratum, ita curae ut salus Animarum.* Chris. hom. 2. in Gen. = O nostro conforto! L'oggetto più caro a Dio, e l'impegno suo più geloso non è altro, se non quello di salvar le nostre Anime.

IX. *Quo praestatior est causa, eo attentior cura.* Ambr. l. 1. Offic. = Se l'impegno ed attenzione deve proporzionarsi, e corrispondere all'importanza del negozio; per quello dell'eterna salute non vi ha impegno, ed attenzione, che basti,

X. *Novit Deus mutare sententiam, si tu noveris*

mendare delictum. Ambr. l. de Poenit. = La sapienza di Dio ha decretata in modo l'eterna salute, che senza cambiarsi lui, sa cambiar decreto, se l'Uomo reo saprà ravvedersi.

XI. *Si de aliis ad alios nullus accedere possit, quo pertinet jactantia correctionis?* Hilar. Ep. ad Aug. = Se l'Uomo dalla classe degli uni, non può a quella degli altri passar, e farsi predestinato, a che tanto affannarci colle nostre prediche?

A R T. 22.

Conclusione dell' Operetta.

Possiamo, se non gloriarci, lusingarci almeno di aver con brevità, e chiarezza insieme il Mistero esposto della Salute, o sia la predestinazione alla Gloria. In esso ben vi si scuopre l'ordine mirabile fra la volontà di Dio, e la volontà del l'Uomo. Vi si ammira non meno, e la Divina regolatrice sapienza, e l'infinita trionfatrice misericordia. Tutto, se ben si riflette, al conforto dell' Uomo cospira, ed all'impegno di salvarsi. Lo stabilito sistema d'una laboriosa, emeritoria predestinazione, un antidoto può dirsi efficacissimo, e contro la diffidenza de' timidi, e pusillanimi, e contro l'arroganza degli audaci, e libertini. Più non può dir l'audace: *se sono predestinato, non mi può nuocere il vizio.* Non può ripetere più il pusillanime: *se non sono predestinato, la virtù non può giovarmi.* La predestinazione non già gratuita, ma onerosa, ed a riguardo de' meriti preveduti, fa cambiar sentimenti, e linguaggio. Tutti dir debbano: *Se saremo virtuosi, saremo ancora predestinati:* e *se viziosi, anzi-*

che predestinati, *saremo riprovati*. Molti non ostante non gradiranno forse la dottrina del nostro sistema. Dicono, che l'Uomo Dio, come Signor assoluto de' suoi meriti, può a chi egli vuole, e come gli piace applicargli. Malavveduti però che sono! Se Iddio, come l'abbiamo ripetuto più volte, anche dopo l'originario fallo, vuol sinceramente che tutti si salvino: con questa volontà si è fatto debitor a se stesso, ed alla sua veracità di conferir il mezzo necessario alla salute. Or se un tal mezzo non è che una certa applicazione de' suoi meriti; il non applicargli a tutti è lo stesso, che non voler di tutti la salute. Tal applicazione poi, o si fa con una predestinazione *gratuita*, o *meritoria*. La prima è falsa; perchè sarebbono tutti predestinati, e salvi. La seconda dunque l'è vera; e pochi sono i predestinati, e si salvono; perchè pochi vogliono meritar, e salvarsi. Eh! Diciamolo tuttavia, e così diamo compimento al nostro dissimpegno: la dottrina della predestinazione gratuita, ed a solo genio di Dio, ritarda l'Uomo, anzi lo rimuove affatto dall'impegnarsi per la sua salute. Sempre dirà l'Uomo: *Se a Dio è piaciuto già predestinarmi*, *senza riguardo a' miei meriti*, *sono certo di mia salute*; *a che affannarmi tanto*? Per quanto si sforzino i contrarii a confutar quest' opposizione; non la prendono direttamente di mira, nè la spiantono dalle radici. Dicono sì; che Dio ha predestinato gratuitamente l'Uomo al Cielo; ma non gliene darà il possesso senza meritarlo. Ma l'Uomo risponde: *Sia così*; *dunque senza che mi affanno*, *penserà Dio*, *a non fallir nel suo decreto*, *come farmelo meritare*. Se gli si dirà, che il merito consiste nel libero, e volontario ben oprare. L'Uo-

mo ripeterà la stessa cantilena: *Ebbene, sia così: penserà Dio dunque al modo di farmi operar liberamente, senza che mi affliggo; e mi affanno.* Se gli si dirà, che Dio non fa burlarsi da chi parla in tal guisa, nè lo salva. Risponderà l'audace: *se così è; costui dunque non era predestinato.* Veggasi ora che pietra di scandolo sia promulgar, e difendere la predestinazione gratuita, ed a puro beneplacito di Dio. La dottrina per contrario della predestinazione laboriosa, e meritoria promuove anzi nell'Uomo tutta la sollecitudine per la sua eterna Salute. Persuaso l'Uomo di questa verità, si vedrà costretto a dir, e ripetere: » da me dipende, ajutato dalla grazia di Dio, il » salvarmi. Se m' impegno, e mi sforzo ad ope- » rar bene son predestinato, e mi salvo «. Benedetto sia per sempre Dio, che colla sua reglatrice sapienza decretò in modo la predestinazione dell' Uomo, che si salva chi vuol salvarsi. Benedetto per sempre Dio, che non ostante la corrotta Natura, colla sua trionfatrice misericordia fa sì, che solo si danna chi vuol dannarsi. Con ragione dunque nel presente opuscolo dicesi che il *Mistero della Salute*; o sia la *Predestinazione alla gloria*, vanta per suoi caratteri il *Conforto*, ed *Impegno* dell' Uomo. Del resto, se per a caso in questo trattatello penetrata vi fosse cosa meno vera, o meno giusta; l' umile Autore l' è disposto a soffrir la confusione di ritrattarla.

A Dio solo l' onor sia, e la gloria in eterno.
Soli Deo honor, et gloria in saecula saeculorum.

FR. THOMÆ DE JESU

ORDINIS MINORUM EXCALCEATORUM

ALMÆ SANCTI PETRI DE ALCANTARA PROV. NEAPOLITANÆ SACRÆ THEOLOGIÆ LECTORIS

SPECULUM THEOLOGIÆ CORDIS

IN QUO

THEOLOGIÆ UNIVERSÆ DOGMATICO-MORALIS

PROSPECTUS EXHIBETUR

PRO TARDIORIS INGENII CANDIDATIS

ATQUE PRO SUBEUNDO EXAMINE

CONSTRUCTUM.

Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.
Se vuoi salvarti, osserva le leggi.
MATT. 19.

Arcta est via, quae ducit ad vitam.
È stretta la strada, che conduce al Cielo.
MATT. 7.

IN LODE DELLA TEOLOGIA MORALE.

SONETTO ACROSTICO.

Bona, et mala in hominibus tentabit.
Scopre il bene, o male nell' uomo.
Eccli 39.

Tanto del Cuor la scienza, o sia Morale,
Eccelsa ella si mostra, vaga, e degna;
O Dio! che si richiama, ed anche impegna
La rima alla sua gloria trionfale.

O come ad altr' onore il suo prevale!
Giusta le verità, che al cuore insegna.
Il ben gli esorta, e vuol che ancor vi regna.
Ad evitar lo astringe il vero male.

Molto ella scuopre con sua luce ardita.
Or la virtù dichiara; or il peccato;
Riprova questo, e a quella il cuore invita.

Anche poi di placare un Dio sdegnato,
L' arte dimostra, o Cieli! assai compita;
E chi la segue, il fa giusto, e beato.

PRÆFATIO.

Humano cordi excolendo, perficiendo, beando illa profecto mirifice disciplina deservit, quae theologia cordis *audit, sive* moralis, *cujusque prospectum hoc in speculo exhibere contendo. Ea siquidem, caeteras inter literarias facultates, principem sibi locum jure deposcit, ac facile vindicat. Ea naturalibus non solum disciplinis extollitur; verum et illi caelitus revelatae doctrinae, quae* theologia mentis *dicitur, palmam eripere videtur. Ea simul et mentem dogmaticis notionibus illis, quae speculativae nuncupantur, imbuit, et voluntatem, seu cor ipsum informat, inflammat, ad Deum dirigit, ut eapropter* theologiae cordis *nomine donetur. Haec scientia est illa, quam labia Sacerdotis callere, custodire, concionari jubentur, quamq: qui repellunt, a Deo repelluntur, ne Sacerdotio illi fungantur. Haec lex est illa a Deo ipso rogata, et promulgata, sive signato super nos rationis lumine, sive Prophetarum oraculis, sive novissimis diebus istis in loquente Filio suo; cujus populi sensum, ac intelligen-*

tiam ex ore Sacerdotis exquirerent. Haec studium illud profecto est, cujus cognitio simul, et praxis nostram consequitur, aliorumque salutem, Apostolo clamante, 1. *Thim.* 4. Attende tibi, et doctrinae: hoc enim faciens, et teipsum salvum facies, et eos, qui te audiunt. *Re quidem ipsa: theologia cordis et officia in Deum, nosmetipsos, et proximos decernit, et virtutum exhibet pulchritudinem, et vitiorum aperit, quam horreamus turpitudinem, et quod caveamus venenum. Medium ipsa quoque ostendit, quo valeant sibi Deum reconciliare peccatores, ejusque illam consequi gratiam, qua de morte ad vitam translati, Divinaeque consortes effecti naturae, Dei Filii nominentur, et sint; haeredes adeoque quidem Dei, cohaeredes autem Christi: Quid igitur Theologia cordis praestantius? Quid locupletius? Quid salubrius? Magna mihi propterea spes affulget, plurimi hanc a vobis Candidatis ductum iri disciplinam, eique animum integrum, speciale studium, omne decus tribuendum. Illud autem altius inhaereat cordi vellem, mihi haudquaquam in hisce conquirendis, eligendis, ac paucis exponendis institutionibus incidisse consilium, ut illam adhiberem opinandi methodum, quae de terra Probabilistica germinavit, et Casuistica. Altera potius arguendi arrisit ratio, altera judicandi praxis*,

quam prae caeteris celebriores tradidere theologi, Natalis Alexander inquam, Concina, Besombes, id genus Aliique Hi namque non illam, quae lata via est, et spatiosa, quaeve ducit ad perditionem; sed arctam aliam, et angustam, quae ad vitam ducit, ostendunt; quamque Christus ipse, qui via, veritas, et vita est, aperuit, explanavit, commendavit. Vos interim Candidati praeclarissimi, hoc iter utilitatis onustum arripite, hanc decoris plenam excurrite laetabundi provinciam, meique ad Altare in sacrificio pretii nostri memores estote. Valete.

IN THEOLOGIAM CORDIS UNIVERSAM.

QUÆSTIONES PRÆLUDIALES.

Q. 1. *Quid sit Theologia cordis, sive moralis?*

R. Est a Deo revelata doctrina morum; ex graecis vocibus *theos*, *logos*, *ethos*, latine *Deus*, *sermo*, *mos*; vel est scientia de moribus, ex principiis revelatis ratiocinio derivata.

Q. 2. *An necessaria fuerit revelata morum doctrina?*

R. Ita est. Nam post Adae lapsum, obscurata ratione, cum saepe decipiatur homo, superno indiget lumine.

Q. 3. *Theologia cordis est naturalis, an supernaturalis scientia?*

R. Est supernaturalis ratione principiorum, quae revelata sunt. Naturalis vero ratione conclusionum, quae naturali ratiocinio ex revelatis principiis deducuntur.

Q. 4. *In quo Theologia cordis a philosophia morali differat?*

R. In eo differt, quod prior nitatur principiis revelatis, ac respiciat finem ultimum, seu Deum: posterior utatur naturalibus principiis, et respiciat finem honestum, seu rationi consonum.

Q. 5. *Quid, et quotuplex sit objectum Theologiae cordis?*

R. Objectum est, quod objicitur agendum. At *materiale* sunt mores, *formale* vero, morum directio; *totale* cor hominis imbuendum.

Q. 6. *Qui sint fontes, seu loci theologiae cordis?*

R. Duo sunt; *Ratio*, et *Auctoritas*. Posterior

dividitur in novem, prout dictum est de Theologia mentis.

Q. 7. *Quae sit methodus in hac theologia cordis servanda?*

R. Est ejus distributio in sex partes; quarum erit. 1. De Actibus humanis. 2. De Virtutibus theologicis; ubi de peccatis. 3. De Jure, ac justitia; ubi de contractibus. 4. De Decalogo. 5. De praeceptis Ecclesiae. 6. De Sacramentis.

SPECULI THEOLOGIÆ CORDIS.

PARS I.

DE ACTIBUS HUMANIS, EORUMQUE REGULIS.

Actus humanus est moralis, idest morum regulis conformis, vel difformis. Duplex est ejus regula; *interna*, seu conscientia, *externa*, seu lex. Agendum igitur est. 1. De actibus humanis universim. 2. De conscientia; 3. De Legibus.

CAP. I.

DE ACTIBUS HUMANIS UNIVERSIM.

Q. 1. *Quid sit actus humanus, quidve actus hominis?*

R. Actus humanus est quicquid ab homine fit humano modo, idest animo advertente, ac deliberato: nam sic homo agit, ut *rationalis*. Actus vero hominis est, quod fit sine advertentia, et libertate: nam sic agit homo ut *animalis*.

Q. 2. *Quot, et quae sint conditiones actus humani?*

R. Quatuor sunt. 1. Ut sit praecognitus: nam voluntas non fertur in incognitum. 2. Ut sit voluntarius: nam voluntas est ejus causa efficiens. 3. Ut sit liber: nam ad moralitatem requiritur libertas. 4. Ut sit ob aliquem finem: nam etiam

bruta sic agunt; licet non advertant sic agere, nec libere sic agant.

ART. I.

De voluntario, et libero.

Q. 1. *Quid sit voluntarium, et an differat ab actu humano?*

R. Voluntarium ex D. Th. est id *quod procedit a principio intrinseco cum cognitione finis.* Principium intrinsecum est anima, quae mente finem agnoscit, ac voluntate appetit. Porro si voluntarium est liberum, non differt ab actu humano, qui liber est: secus si non sit liberum, uti sunt actus primo primi.

Q. 2. *An inter se differant voluntarium, volitum, spontaneum, liberum?*

R. Ita est. Nam *voluntarium* est actus voluntatis: *volitum* est voluntatis objectum; *spontaneum* est actus necessarius, ut amor felicitatis; *liberum* est actus deliberatus.

Q. 3. *Quotuplex sit voluntarium?*

R. Multiplex est. Nam dividitur. 1. In *elicitum*, seu internum, et *imperatum*, seu externum ex imperio voluntatis. 2. In *perfectum*, seu sine aliqua tristitia, et *imperfectum*, seu cum aliqua tristitia. 3. In *liberum*, quod est a voluntate seipsam determinante; et *necessarium*, quod est a voluntate naturaliter determinata, ut amor felicitatis. 4. *In directum*, *explicitum*, et *in se*, quod immediate intenditur, ut e. g. ebrietas; et *in directum*, *implicitum*, et *in causa*, quod in alio intenditur, v. g. rixa praevisa in ebrietate.

Q. 4. *Quot requirantur, ut voluntarium in causa sit imputabile?*

R. Tria requiruntur. 1. Ut causa vitari possit: hinc omissio Sacri non imputatur ei, qui est in carcere. 2. Ut causa vitari debeat: hinc pollutio, modo displiceat, non imputatur Confessario mulierum: quia utitur jure suo. 3. Ut effectus praevideri possit: hinc perjurium in ebrietate non imputatur ei, qui pejerare non solet.

Q. 5. *Quid sit liberum? Quid libertas? Quotuplex ea sit?*

R. *Liberum* est actus libertatis. *Libertas* est facultas ad libitum agens. Haec duplex est, a *coactione*, idest exemptio a vi tantum externa, licet naturaliter feratur in objectum, ut est libertas, qua Beati Deum amant, et nos bonum in genere: et a *necessitate*, idest exemptio a vi externa, et interna. Posterior vel est *contradictionis*, seu ad agendum, vel non: vel est *contrarietatis*, seu ad agendum bonum, aut malum.

Q. 6. *Quae libertas requiratur ad merendum, vel demerendum?*

R. Libertas a necessitate, tum *contradictionis* tum *contrarietatis*. Nam Eccl. 31 *Beatus vir, qui potuit . . . . . facere mala, et non fecit.* Idipsum definivit *Trid. Sess.* 6 contra Novatores. Et Innoc. 3. hanc thesim damnavit; *Ad merendum, vel demerendum in statu naturae lapsae, sufficit libertas a coactione.*

ART. 2.

De involuntario, ejusque causis.

Q. 1. *Quid, et quotuplex sit involuntarium? et quae ejus causae?*

R. Involuntarium est, quod vi, vel ignorantia

fit: nam si vi, non est a principio intrinseco: si ignorantia, non est cum cognitione finis; ut supra; art. 1. q. 1. Duplex est involuntarium; *absolutum*, cum perimit voluntarium; *secundum quid*, cum minuit tantum. *Causae absoluti* sunt vis, et ignorantia; *secundum quid*, sunt metus, et concupiscentia, ut sequitur.

Vis, et ignorantia.

Q. 2. *Quid sit vis, et quando extinguat voluntarium?*

R. Vis est impetus extrinsecus, qui repelli nequit: hinc afficit corpus tantum, et voluntarium imperatum; et tunc perimit, cum vis agentis vincat vim patientis: adeoque Puella vi compressa, si pro viribus non enitatur, et non contineat consensum, non dicitur vim passa, et peccat. At si exterius pro viribus resistit, et interius consentit, tunc vis minuit peccatum.

Q. 3. *Quid, et quotuplex sit ignorantia?*

R. *Ignorantia* est carentia scientiae debitae: nam si non est debita, *nescientia* vocatur. Dividitur. 1. In *invincibilem*, quae non valet; et *vincibilem*, quae valet expelli, quaeve si oriatur a negligentia sciendi, dicitur *supina*, si vero a proposito nesciendi, dicitur *affectata*. 2. In ignorantiam *juris*, seu existentiae legis; et *facti*, seu violationis legis. 3. In *antecedentem*, quae praecedit opus, et coincidit cum invincibili: in *consequentem*, quae perficit opus, et coincidit cum vincibili; in *concomitantem*, quae prava dispositio agentis est, qua si sciret legem, adhuc violaret.

Q. 4. *An, et quae ignorantia extinguat voluntarium?*

R. *Invincibilis*, et antecedens extinguit, quia nil volitum, quin praecognitum. *Vincibilis supina* non extinguit, quia voluntaria in causa, seu in negligentia sciendi. *Vincibilis affectata* auget potius, ob malitiam nesciendi. *Concomitans* perimit voluntarium actuale, quia incognitum, non habituale, ut Q. 3. in fin.

Q. 5. *An ignorantia sit per se speciale peccatum?*

R. *Invincibilis* nec per se, nec per quod ex se oriatur, peccatum est; quia involuntaria. *Vincibilis* vero, si sit de his, quae quis scire tenetur, ut scientia moralis in Confessario, est speciale peccatum distinctum ab illis, quae sequuntur ex ignorantia: si vero sit de his, quae quis scire non tenetur, ut eadem scientia in laico, ignorantia, et violatio unum sunt peccatum.

Q. 6. *Quae peccati species sit ignorantia specialis*; ut sup. q. 5.

R. Est illius speciei, cujus est violatio legis ignoratae. Hinc si sit circa fidem, adversatur fidei; si circa Decalogum, est peccatum contra illius praecepta; etc. Hujus peccati gravitas est pro ratione vincibilis ignorantiae *supinae*, vel *affectatae*.

Q. 7. *Quando committatur ignorantiae peccatum?*

R. In his, quae quis scire tenetur, ut moralis in Confessario, lex civilis in Causidico, Christiana doctrina in fideli, etc. toties committitur peccatum, quoties advertit ignorantiam, et negligit, vel vult nescire. In his vero, quae quis non tenetur scire, tunc solum committitur, cum agit non expulsa vincibili ignorantia, ut supr. q. 5 et infr. c. 2 de consc. err.

Q. 8. *An detur invincibilis ignorantia juris naturae?*

R. Jus naturae continet. 1. Principia universa-

lia, *ut bonum faciendum, malum fugiendum, quod tibi vis, alteri feceris*, etc. 2. Conclusiones proximas ex praefatis principiis, ut praecepta Decalogi. 3. Conclusiones remotas, ut alia praecepta: in his tantum dari dicitur.

Q. 9. *An deleatur aliquando ignorantiae peccatum, et non ipsa?*

R. Ita est: Nam si quis doleat vere de ignorantiae peccato, cum proposito eam expellendi: tunc peccatum deletur, ut alia peccata: et ignorantia manet ut poena peccati, non ut causa.

Metus, et concupiscentia.

Q. 10. *Quid, et quotuplex sit metus; et quae ad gravem requirantur?*

R. *Metus* est mentis trepidatio instantis periculi causa. Duplex est *gravis*, et *levis*. At fieri valet, ut qui levis est in viris, in pueris, ac puellis sit gravis. Ad gravem requiritur. 1. Ut malum, quod timetur sit grave. 2. Ut sit probabile. 3. Ut sit inevitabile. 4. Ut metum incutiens soleat malum exequi.

Q. 11. *An metus efficiat involuntarium?*

R. *Levis* nullimode; sed spernendus. *Gravis* vero efficit involuntarium *secundum quid*, non autem *absolutum*: nam voluntas sub gravi metu libere se determinat, licet cum tristitia.

Q. 12. *Quotuplex sit causa metus, modus, et finis illum incutiendi?*

R. 1. *Causa* est duplex; *necessaria*, seu natura ipsa, ut tempestas, infirmitas, etc. et *libera*, ut Deus, vel homo terrens. 2. Modus incutiendi duplex est; *justus*, si a natura incutiatur, vel a judice; *injustus*, si ab homine privato. 3. Finis

incutiendi duplex; *ad extorquendum consensum*, ut qui metu ad contrahendum cogit: et ad *actum continuandum*, ut qui cum metu furatur.

Q. 13. *An, quae fiunt ex gravi metu sint valida?*

R. Si metus sit *justus* valida sunt omni jure ex cap. *Jurejurando.* Si vero sit *injustus*, licet valida sint jure naturae, quia metus non perimit voluntarium: jure tamen canonico quaedam sunt irrita, modo jurata non sint, et metus fuerit ad extorquendum consensum: et alia irritari valent *ut infr.*

Q. 14. *Quae facta ex gravi metu irrita sunt jure Canonico?*

R. Sex haec. 1. Tutoris, et Curatoris auctoritas extorta. 2. Electio Praelatorum: obtenta jurisdictio; absolutio a censuris. 3. Promissio, vel solutio dotis; testimonia testium in testamentis. 4. Traditio rei sacrae, licet jurata. 5. Matrimonium; aut sponsalia. 6. Vota solemnia. Hinc in Glossa.

Tutor, Judicium, Dos, Sacrum, Copula, Votum.
Haec sex vi facta, de jure scias fore nulla.
Caetera jus patitur; sed postea restituantur.

Q. 15. *Quomodo valida jure naturae, ut supr. q.* 13. *irritentur J. C.?*

R. Jus Can. seu Ecclesia docens, in praefatis casibus non irritat jus naturae; sed tantum declarat, jus naturae sic a Deo statutum fuisse, ut in illis casibus non obligaret.

Q. 16. *An professio religiosa metu facta sit semper irrita?*

R. Primo quinquennio irrita est, si sic professus infra quinquennium reclamat. Si gravi metu non reclamat, perdurat nullitas etiam post quinquennium. Si in fine quinquennii, etiam cessante metu non reclamat, ratificare censetur professionem, nec amplius reclamare valet. Reclamatio fieri

debet coram Episcopo, et Superiore Conventus. *Trid. Sess.* 25.

Q. 17. *Quid de metum incutiente in casu Religionis, ac matrimonii?*

R. Qui viros, ac mulieres vel retrahit a religione; vel cogit gravi metu ad matrimonium, vel solas mulieres cogit ad monasterium; graviter peccat, et excommunicationem Papae reservatam incurrit. Sic *Trid.*

Q. 18. *An metus gravis excuset a culpa, et poena in violatione legis?*

R. In lege *affirmativa*, semper excusat, sicuti Hebraeos a divina lege circumcisionis in deserto. In lege *negativa*, si violatio cohonestari valet alia lege praevalente, excusat: secus non excusat. Hinc excusat qui fugiens intrat in claustra monialium; quia praevalet lex vitae tuendae. Non excusatur vero, qui communicat in criminoso cum vitando; ex cap. *Sacris.*

Q. 19. *Quid, et quotuplex sit concupiscentia, et an faciat involuntarium?*

R. Ea est motus sensitivi appetitus circa delectabile vetitum. Duplex est; *antecedens*, quae insurgit in nobis sine nobis, ut ex fortuito visu puellae: *consequens*, quae a nobis in nobis excitatur, ut qui agit illicita ut insurgat. Prior facit involuntarium, modo displiceat; ejusque motus dicuntur primo primi. Posterior auget voluntarium, ejusque motus secundo secundi vocantur.

Art. 3.

De moralitate actuum humanorum.

Q. 1. *Quid, et quotuplex sit moralitas actus humani?*

R. *Moralitas* est conformitas, vel difformitas actus ad morum regulas, quae sunt *conscientia*, et *lex*. Hinc duplex est moralitas, idest *probitas*, et *improbitas*, prout conformatur, aut adversatur actus praefatis regulis.

Q. 2. *Quae sint principia moralitatis actus humani?*

R. Ex D. Th. tria sunt; *objectum*, seu quod fit; *finis*, idest cur fit; *circumstantia*, seu accidens, sub quo fit. Sic in stupro libido est *objectum*; matrimonium est *finis*; laesio virginitatis est *circumstantia*. Objectum, et finis sunt essentialia; sine quibus non consistit actus humanus: circumstantia est accidentalis, quae abesse valet.

Q. 3. *Quid ad bonitatem, quidve ad malitiam actus humani requiratur?*

R. Ad bonitatem requiritur, ut simul objectum, finis, et circumstantiae, si occurrant, bona sint. Ad malitiam vero sufficit, ut eorum unum sit pravum. Hinc D. Dionysius de Divin. Nomin. *Bonum ex integra causa; malum ex quocumque defectu.*

Q. 4. *Quot sint circumstantiae actus humani?*

R. Ex D. Th. sunt septem, quae indicantur hoc versiculo.

Quis, Quid, Ubi, Quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Quis indicat qualitatem personae, ut si sit Cle-

ricus, virgo, etc. *Quid* innuit qualitatem actionis. *Ubi*, qualitatem loci, ut si sit sacer. *Quibus auxiliis* innuit medium, ut si vi, odio, blanditiis. *Quando*, qualitatem et quantitatem temporis; ut si die festo, per annum etc.

Quid, et *Cur* confunduntur cum objecto, ac fine: adeoque sunt essentialia actus.

Q. 3. *Quotuplicis generis sint circumstantiae?*

R. Triplicis generis. 1. *Mutantes* speciem, quae addunt novam, et distinctam malitiam actui: sic circumstantia loci sacri addit furto novam speciem, idest sacrilegium. 2. *Aggravantes* eamdem speciem, ut si simplex furtum sit gravius. 3. *Minuentes* eamdem speciem, ut si furtum simplex leve sit.

Q. 6. *An actus exterior interiori addat novam moralitatem?*

R. Id controvertitur: et probabilius addit. Nam actus exterior causat novum effectum: sic martyrium, non ejus desiderium gratiam causat *ex opere operato*. Ergo actus exterior est novae moralitatis, non vero ejusdem, ac actus interior. Sic etiam exterior haeresis, licet occulta, subjicitur Ecclesiae poenis, non *interior*.

Q. 7. *An dentur actus indifferentes, idest nec boni, nec mali?*

R. 1. Certum est dari in *specie*, seu quatenus fieri possint, ut comedere, ambulare, etc. At num dentur in *individuo*, seu quatenus hic, et nunc fiant? Controvertitur. At dari videntur: nam si mali forent, quia non ad Deum directi, materia sufficiens essent confessionis, quod prudens Confessarius non approbat. Hinc illud 1. Cor. 10. *Sive manducabitis . . . . in gloriam Dei facite*, consilium est sub culpa non obligans: secus agnovissent D. Bonaventura, ac Theologi multi.

CAP. II.

DE CONSCIENTIA.

Conscientia est dictamen rationis circa facienda, et omittenda. Vocatur *cordis scientia*, quia cordis est facere, ac omittere. Dicitur etiam *concludens scientia*; quia quod resolvit conscientia, est conclusio derivata ex notis morum principiis: e. g. malum est vitandum. Atqui avaritia est mala; en *principia*. Ergo avaritia est vitanda: en *conclusio*, et *conscientia*. Haec dividitur in *veram*, et *erroneam*: in *dubiam*, et *probabilem*: in *scrupulosam* etc.

ART. I.

De conscientia vera, et erronea.

Q. 1. *Quid, et quotuplex sit conscientia vera? Et an obliget?*

R. Est quae dictat aliquid esse bonum, vel malum, quin decipiatur: hinc etiam certa, bona, recta vocatur. Duplex est: *consulens* perfectiora, et non obligat: *praecipiens* necessaria; et obligat ex illo Rom. 14. *Quod non est ex fide, peccatum est.* Si dictet aliquid esse malum, quin sciat gravitatem, agere contra illam semper est grave, ob periculum graviter peccandi.

Q. 2. *Quid, et quotuplex sit conscientia erronea?*

R. Est quae dictat aliquid esse bonum, vel malum, quin tale sit. Duplex est; *Vincibilis*, quae debet, et valet expelli: debet, si adsit suspicio errandi; valet, si via pateat illam expellendi: *Invincibilis*, quae nec debet; nec valet expelli; non

debet, si nulla sit errandi suspicio; non valet, si nulla sit eam expellendi via.

Q. 3. *An conscientia invincibiliter erronea obliget?*

R. Ita est. Nam homo in operando sequi debet dictamen, quod verum putat. Verum autem putat dictamen hujusmodi conscientiae. Haec proinde obligat sicuti vera, ut sup. q. 1. nisi quod vera obligat per se, ac semper; erronea per *accidens*, et dum vera putatur.

Q. 4. *An subditus parere debeat contra suam erroneam conscientiam?*

R. Neg. Nam Act. 4. *Obedire oportet magis Deo, quam hominibus.* In casu autem, subditus credit a Deo esse suae conscientiae dictamen. Licet vero peccet, secus agens: non incurrit tamen poenas humanas, quas erronee putat suo peccato adnexas: nam poena fertur ab homine in violatores legis verae, non putativae. Hinc percutiens Clericum, quem putat Laicum, vel contra non incurrit excommunicationem.

Q. 5. *An malum, erronee bonum putatum sit meritorium?*

R. Negative; secus gratia, sine qua non est meritum, influeret in objectum malum, et in errorem. Hinc qui putat licitum furtum ob eleemosinam; per hanc et illud non meretur. Ast si non actio, intentio Deo placendi bona, ac meritoria est.

Q. 6. *Ad quid obliget conscientia vincibiliter erronea?*

R. Obligat 1. Ut agere volens, prius eam expellat ob periculum errandi. 2. Ut non expulsam sequatur, ne forte agat contra verum dictamen. 3. Sic agens semper peccat, sive sequatur, sive non suam conscientiam, ob periculum peccandi. Hinc ignorans, an liceat furari ob eleemosinam?

Si furatur, peccat contra justitiam; si non furetur, contra pietatem: si culpae quantitatem ignoret, peccat graviter ob periculum, et tenetur ad damnum forte secutum, quia voluntarium in causa.

Q. 7. *Quid si urgeat opus, et error hic et nunc expelli nequeat?*

R. Si error sit de his, quae scire debuit, doleat de ignorantiae peccato, ut excusetur ab ulterioribus peccatis: cap. 1. art. 2. q. 5. et 9. secus peccat quicquid agat. Deinde quod minus malum putat, eligat: et si utrumque putet aequaliter malum, idest agere, vel non; hoc, vel illud eligat, quod vult, quia tunc non est liber; Sic etiam se gerat, si error sit de his, quae scire non debuit; at excusatur a damno forte illato, quia non voluntarium nec in se, nec in causa.

Q. 8. *An Confessarius monere debeat poenitentem de sua conscientia erronea?*

R. Absolute debet in hisce casibus. 1. Si sit vincibilis, quia culpabilis, et poenitens eam espellere tenetur: secus semper peccat, ut sup. q. 6. 2. Si sit invincibiliter erronea de his, quae sunt *medii*: quia secus non erit salus. [3. Si sit invincibiliter erronea de his etiam, quae sunt praecepti, modo monitio sit profutura.

Q. 9. *Quid si monitio de his, quae sunt praecepti sit obfutura?*

R. Concina, Wigand, etc. docent; adhuc teneri Confessarium ad monitionem; quia Judex est pro tribunali. Alii negant, ex illo Aug. *Si scirem tibi non prodesse, non te admonerem.* In casu debet Confessarius majus malum avertere. Si monitio sit de restitutione, quam non implebit poenitens; fieri non debet; quia damnatio majus malum est, quam amissio bonorum, et honoris? Si

monitio sit de scandalo vitando, fieri debet; quia ruina multorum majus est malum, quam solius poenitentis.

ART. 2.

De conscientia dubia, et probabili.

Q. 1. *Quid sit conscientia dubia, seu quid sit dubium?*

R. Est suspensio mentis inter oppositas sententias; ut an extet, necne lex? an implevi, necne. Hinc differt, tum a *suspicione*, quae est propensio ad unam partem sine assensu; tum ab *opinione*, quae est assensus uni parti cum formidine de opposita.

Q. 2. *Quotuplex sit dubium, seu conscientia dubia?*

R. Multiplex est. Nam dividitur. 1. In dubium *Juris*, ut an extet lex, seu obligatio? et *facti*, ut an satisfecerim. 2. In *speculativam* ut extra casum agendi: et *practicum*, ut in actu agendi: 3. In *positivum*, si utrinque aequales sint rationes: et *negativum*, si utrique parti desint rationes.

Q. 3. *An agere liceat cum dubio, et in dubio quid agendum?*

R. Non licet ob errandi periculum. Sic agens peccat illius speciei peccato, de quo dubitat. Si de gravitate dubitat, graviter peccat, ob grave periculum. Hinc tenetur diligentia expellere dubium. Si expelli nequeat, partem tutiorem, idest quae legi favet, sequi debet tam in dubio *juris*, quam *facti*; ex illo juris *in dubiis tutior pars est eligenda.*

Q. 4. *Quid, et quotuplex sit conscientia probabilis?*

R. Est assensus uni parti cum formidine. Conscientia haec *opinio* vocatur, quae triplex est: *probabilis*, si gravi nitatur principio: *probabilior*

si graviori: *probabilissima*, si gravissimo. Principia sunt *Ratio*, et *Auctoritas*. Quaevis opinio minus, plusve falli potest, cum sit humana, licet excuset, ut infra.

Q. 5. *Quid sit probabilismus, et an licitus?*

R. Est usus opinionis probabilis: si sit pro lege, semper est licitus; quia semper a peccato avertit. Si vero sit pro libertate, licitus est, si non occurrat probabilior, vel aeque probabilis pro lege: illicitus vero si occurrat; quia in priori casu, prudenter quis agit ex gravi principio; in posteriori vero imprudenter ob peccandi periculum. Qui semper licitum esse docent, Probabilistae, ac Benignistae vocantur.

Q. 6. *Quid sit probabiliorismus, et an obliget?*

R. Est usus opinionis probabilioris, relicta probabili. Si sit pro lege, stricte obligat ob evidens peccandi periculum. Si sit pro libertate, non obligat, sed permittitur, itaut omitti valet, et sequi opinionem probabilem pro lege; ut probabiliter vovi; probabilius non vovi; voto non teneor, at implere possum.

Q. 7. *Quid, et quotuplex sit tutiorismus?*

R. Est usus doctrinae, quae dat securitatem ab errore. Duplex est. *Rigidus* seu securitas ab errore etiam materiali; ut probabilius implevi, et adhuc impleo. *Discretus*, seu securitas ab errore tantum formali; ut probabilius implevi, non teneor: hic idem est, ac probabiliorismus pro libertate; ut sup. q. 6.

Q. 8. *An et qnando tutiorismus obliget?*

R. *Rigidus* obligat in his, quae sunt *medii*, quavis opinione relicta: nam haec falli posset, ut sup. q. 4. et hoc in casu actum foret de salute: sic esto probabilissime puto, me doluisse de peccatis,

et infanti periclitanti collatum fuisse baptisma; teneor ad dolorem, et baptismum sub conditione conferre. *Discretus* obligat in his, quae sunt praecepti, si sit pro lege; permittitur si pro libertate, *ut q.* 6. quia si forte erret, adhuc salus est.

ART. 3.

De conscientia perplexa, scrupulosa, laxa, rigida.

Q. 1. *Quid, et quotuplex sit conscientia perplexa, et quomodo resolvenda?*

R. Est, quae dictat utrumque oppositum esse peccatum; ut furari ob eleemosinam, et non furari. Expelli diligentia debet. Si nequit expelli, eligatur minus malum. Si utrumque aeque malum videtur; fiat, quod placet, quia tunc non est libertas.

Q. 2. *Quid sit conscientia scrupulosa, et quomodo dirigenda?*

R. Est, quae dictat, aliquid esse peccatum ex vana ratione: hinc scrupulus est vanus peccandi timor. Duplex est ejus causa; *physica*, ut ignorantia, cerebri laesio; etc. et corrigitur studio, medicina, etc. *moralis*, ut Dei permissio, pertinacia, etc. et corrigitur oratione, subjectione ad Confessarium etc.

Q. 3. *Quid sit conscientia laxa, quidve rigida?*

R. Laxa est, quae levi ratione putat aliquid esse licitum: Ecclesia sequi vetat opinionem *exiguae probabilitatis*. *Rigida* quae dictat rigidum tutiorismum, etiam in his, quae sunt praecepti, ut sup. art. 2. q. 6. Ecclesia damnat hanc thesim, *Non licet sequi opinionem probabilissimam*.

CAP. III.

DE LEGIBUS.

Quamplura de Legibus congerunt Auctores. Potiora, quae subituris examen sint satis, hic exponentur, ut sequitur.

ART. 1.

De natura, et divisione legis.

Q. 1. *Quid sit lex? et an a praecepto differat?*

R. *Est ordinatio rationis, ad commune bonum.* Ejus conditiones quinque sunt: necessitas, utilitas, honestas, justitia, possibilitas. Differt a praecepto: nam lex est perpetua ad bonum commune, et ad futuras etiam personas: praeceptum vero cessat morte jubentis, est ad bonum particulare, ac ad personas tantum praesentes; *hinc est ordinatio rationis ad bonum particulare.*

Q. 2. *Quotuplex sit lex?*

R. Duplex est; Divina, et humana. Prior dividitur in aeternam, naturalem, et positivam, seu extra nos positam. Posterior in canonicam, Civilem, ac jus gentium. Omnium fons est aeterna ex Aug. lib. 1. de lib. Arb. *Nihil est in lege justum, quod ab aeterna non derivet.* Lex vocatur *jus* etiam.

Q. 3. *Quid, et quotuplex sit jus aeternum?*

R. Est Divina ratio directiva creaturarum. Duplex est *proprium* quod sistit in legibus moralibus pro creaturis rationalibus: *improprium*, quod sistit in legibus mechanicis pro irrationalibus. Existit hoc jus: secus sine consilio Deus, ac ratione regeret creaturas.

Q. 4. *Quid sit jus naturae proprium?*

R. Impressio aeterni juris est in creaturis rationalibus; et consistit in lumine rationis super nos signato, quo bonum distinguimus, ac malum: Nam quaerentibus; *Quis ostendit nobis bona?* respondetur; *Signatum est super nos lumen, etc.*

Q. 5. *An dispensari valeat jus naturae proprium?*

R. Non dispensari, sed interpretari tantum valet; secus inscitiae argueretur Deus, quod non tulisset jus immobile, ac invariabile. Hinc initio Mundi, non dispensavit Deus jus naturae in connubiis inter fratres, ac sorores; sed declaravit, se noluisse tunc illa connubia prohibere. Ecclesia quoque irritans quaedam jure naturae valida, ut *sup. cap.* 2. *art.* 1. *q.* 15. non dispensat, sed declarat, Deum ita statuisse jus naturae.

Q. 6. *Quid, et quotuplex sit jus positivum divinum?*

R. Est jus scriptum, et traditum a Deo latum. Duplex est; *Vetus*, in quo sunt praecepta moralia, judicialia, caeremonialia; et *Novum*, in quo sunt praecepta moralia, sacramentalia, fidei. Necessarium fuit hoc jus. *Ut homines viderent in tabulis, quod non legebant in corde*, abscurata ratione. *Aug. Enar. in Psalm.* 18.

Q. 7. *Quid sit jus canonicum, seu Pontificium?*

R. Est jus ab Ecclesia conditum pro fidelium regimine. Corpus juris hujus conflavit Paulus Lancellotus; cui addita *Glossa* fuit magnae auctoritatis, sed sine vi legis. Statutum fuit, ut divinis legibus contumaces coerceret.

Q. 8. *Quid sit jus civile, seu caesareum?*

R. Est jus a potestate saeculari latum ad Reipublicae regimen. Nihil affinitatis habet juri Canonico. Nam distincta sunt jura Caesaris, et Dei Ecclesiae.

Q. 9. *Quid sit jus gentium, et an obstringat?*

R. Est jus invectum Nationum consensu; ut Legatorum securitas, petitio pacis in bello, electio sepulturae, prohibitio venenandi hostes, fontes, etc. Obligat juxta materiam; et violatores reputantur infames.

ART. 2.

De Auctore, ac subjecto legis.

Q. 1. *An praeter Deum, extet humana legislativa Potestas?*

R. Utique. Nam Rom. 13: *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Subditi autem nonnisi legibus a sublimiori potestate latis reguntur. Ea vel est Ecclesiastica, et spiritualis, vel civilis, et temporalis: nec una leges alterius, ferre valet. Excipitur Papa temporale quoque dominium habens.

Q. 2. *Quinam leges condere valeant?*

R. Qui sublimiorem habent auctoritatem in societatem perfectam, seu non alteri subjectam in suo genere. Sic est Papa in totam Ecclesiam, Generalis in totum ordinem, Rex in suum regnum: Regina quoque si regnum haereditarium habeat, et non transferat in Regem; quia uti regni, sic regendi legum capax est.

Q. 3. *An femina sit spiritualis jurisditionis capax?*

R. Potuisset Deus tribuere feminis hanc potestatem, nec ulla obest ratio. At num eligendo Viros tantum, jus statuerit nunquam eligendi feminas? Controvertitur. Probabilius est statuisse, in quo Papa dispensare nequit. Hinc Abbatissae nonnisi oeconomicam auctoritatem habent; et maternam tantum, non vero spiritualem benedictionem tribuunt.

Q. 4. *Qui sint legibus subjecti?*

R. Qui subjiciuntur alicui legislativae potestati. Hinc fideles Ecclesiae legibus, Cives civilibus sunt subjecti. Infantes, et amentes, quia sunt observantiae legis incapaces, ideo non peccant, qui eos a Missa retrahunt, vel eis carnes diebus vetitis tribuunt.

Q. 5. *An Legislator suis teneatur legibus?*

R. In regimine monarchico, non vi *coactiva* tenetur; sed *directiva*, seu in aliorum exemplum, nec violando poenas incurrit. In regimine Polyarchico, quod residet in pluribus, quis vi coactiva tenetur, et violando poenas incurrit.

Q. 6. *Quibus subjiciuntur legibus peregrini, vagi, advenae?*

R. *Peregrini* sunt, qui absunt a patria redeundi animo. *Vagi*, qui fixum non habent locum. *Advenae*, qui sunt loci unius, et in alio morantur. Hi subduntur legibus locorum, ubi sunt: si vero transeunt, tunc tenentur, cum legum observantia non extenditur ad plus temporis, quam ibi morantur. Hinc tenentur abstinere a carnibus, dum transeunt; missam audire, si maneant ad meridiem usque; jejunare, si per totum diem ibi sint.

ART. 3.

De materia, et obligatione legis.

Q. 1. *Quid esse valeat materia legis?*

R. Quidquid conducit ad commune bonum, licet illud sit indifferens, ut collocutio cum monialibus. At nequit legislator omnia bona jubere, vel mala omnia vetare. Nam id Dei est, qui auxilia dat. Nec actus internos *directe* praecipere, cum eos judicare nequeat; sed *indirecte*, cum insepara-

biles sunt ab externis. Hinc missam jubens et horas, indirecte jubet devotionem.

Q. 2. *An lex humana obliget in conscientia? et quid si sit tyranni?*

R. Ad 1. Affirm. Nam Rom. 13. *Subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Ad 2. Tyrannus est, qui injuste regnat. Duplex est; *regimine*, si opprimat subditos; *usurpatione* si vi capiat alienum regnum. Lex tyranni *regimine*, si justa est, obligat *per se*; si injusta, per *accidens*, seu ad evitanda majora mala. Lex tyranni *usurpatione*, antequam regnum capiat, non obligat; postquam caeperit, obligat ut tyranni *regimine.*

Q. 3. *Unde gravitas dignoscatur, vel levitas obligationis?*

R. Dignoscitur 1. Ex natura legis; ut si valde, vel parum ad commune bonum conferat. 2. Ex materia legis, si parvitatem admittat, necne. 3. Ex fine legis, si sit gravis; ut collocutio cum monialibus.

Q. 4. *An vis legis a populi acceptatione pendeat?*

R. Neg. si lex *absolute* feratur: nam Alexander VII. hanc thesim damnavit: *Populus non peccat, si non recipiat legem Principis*: secus vero si *conditionate*, idest si acceptetur. Porro initio peccat populus non recipiens legem: deinceps vero si Legislator taceat, non peccat amplius, si autem contumaces coerceat, peccat populus toties, quoties legem violat.

Q. 5. *An legislator valeat obligare rem levem sub gravi, et vicissim?*

R. Ad 1. negat: si res sit levis tum ex se, tum ex fine; quia foret onus grave nimis, ac injustum. Ad 2. Affirm. quia si lex est arbitraria, sic et vis obligandi.

Q. 6. *An lex obliget cum gravi damno, ac vitae periculo?*

R. Sic obligat, si violatio sit intrinsece prava, vel sit aliis gravi scandalo; vel vergat in contemptum legis, legislatoris, vel Religionis: nam tunc agitur de peccato, quod cohonestari nequit. At extra praefatos casus, nulla lex tunc obligat; quia praevalet naturae jus servandi vitam, et bona vitae.

ART. 4.

De modo servandi legem.

Q. 1. *An ad legis observantiam aliqua requiratur intentio?*

R. Affirm. Nam intentio est voluntas circa finem operis, sine quo nullus est actus humanus. At cum haec intentio duplex sit. 1. Circa opus ut *bonum*. 2. Circa opus ut *praeceptum*: hinc alii docent, ad legis observantiam sufficere priorem, itaut, qui Missam audiat, quin sciat esse festum, adhuc satisfaciat: alii docent requiri posteriorem: prius probabilius videtur.

Q. 2. *An legem impleat, qui non vult illo actu implere?*

R. Alii affirmant, itaut qui Missam die festo audiat animo non satisfaciendi Missa illa, legem impleat, quia facit id, quod praecipitur. Alii negant; itaut qui dicit; *nolo hac Missa satisfacere*, teneatur ad aliam; quia per opus gratuitum non solvitur debitum. Posterius probabilius est.

Q. 3. *An finis legis, nedum opus, cadat sub praecepto?*

R. Si finis sit intrinsecus operi, ut devotio in Missa, utique cadit, et qui audit indevote non satisfacit. Si vero finis sit operi extrinsecus, ut

jejunium ob pluviam; tunc si finis exprimitur, cadit, et eo fine implendum est: si secus non cadit.

Q. 4. *An lex impleatur actu vitioso?*

R. Neg. si vitium sit intrinsecum operi, ut distractio in horis canonicis. Affirm. vero si sit extrinsecum, ut impletio praecepti eleemosinae ob vanam gloriam.

Q. 5. *An impleatur in statu peccati?*

R. Si lex sit de actu amoris in Deum, vel doloris de peccatis non impletur; quia lex illa, et status peccati sese vicissim expellunt. Si vero sit lex de aliis rebus, semper impletur, ut lex Missae, jejunii, etc. quia stat operis substantia.

Q. 6. *An uno actu plura praecepta impleri possint?*

R. Affirm. Si praecepta sint ab uno motivo: sic una Missa impletur Dominicae praeceptum, et alterius festi in Dominica incidentis; quia utrumque preceptum est ab uno motivo Dei colendi. Neg. vero si praecepta sint a diversis motivis: sic una Missa non implentur praecepta Ecclesiae, et Confessarii; quia Ecclesiae aliud, et Confessarii aliud est motivum.

Q. 7. *An plura praecepta eodem tempore impleri valeant?*

R. Affirm. si exigant eamdem attentionem: sic uno tempore implentur praecepta Missae, ac horarum in ipsa Missa; quia eamdem ad Deum attentionem exigunt. Neg. vero si exigant diversam attentionem, ut confiteri, ac Missam audire.

Q. 8. *Quid si eodem tempore plura praecepta urgeant, et simul impleri non possint?*

R. Tunc gravius praeceptum est praeferendum, idest naturale positivo, et negativum affirmativo. Hinc infirmo potius indigenti est subveniendum quam audienda Missa.

Q. 9. *Quid si pars tantum impleri valeat praecepti?*

R. Si praeceptum dividi valeat, ut horas recitare; qui nequit totum implere tenetur ad partem, quam potest; si vero dividi nequit, ut Missam audire; qui nequit totum, non tenetur ad partem. Ita communiter.

Q. 10. *Quid de lege poenali dicendum occurrat?*

R. Ea est, quae sub poena jubet, vel vetat aliquid. Duplex est *pure poenalis*, si ad solam poenam obliget: *mixte poenalis*, si ad culpam, et poenam, quod ex verbis legis patebit. Poenam subiturus non debet agenti contra se resistere: hinc debet ingredi carcerem, praebere collum, ascendere patibulum; quia sic Judici paret, ac legi.

Q. 11. *Quid dicendum de lege tributorum?*

R. Tributum est pensio communis pro conservatione Principis, ac Reipublicae. Duplex est: *Campaticum* ex bonis immobilibus, *testaticum* ex mobilibus. Si sit ob artes exercendas, *angaria* vocatur. Omnia vulgo *gabellae* audiunt. Si lex justa sit, in conscientia obligat. Rom. 13. *Reddite omnibus debita, cui tributum, tributum.*

Art. 5.

De cessatione legis.

Q. 1. *Quid, et quotuplex sit cessatio legis?*

R. Est exemptio ab ejus obligatione. Duplex est; *propria*, cum lex extinguitur, quod fit *abrogatione*, *cessatione finis*, *dispensatione*, *privilegio*, et *consuetudine contraria*: *impropria*, cum lex exponitur, quod fit interpretatione, ac epikeja, ut sequitur.

Q. 2. *Quid, et quotuplex sit abrogatio legis?*

R. Est legis revocatio. Duplex est; *positiva*, quae fit ab ipso legislatore, vel successore: *negativa*, quae fit desuetudine. Si pars tantum legis revocetur, id non abrogatio, sed derogatio est.

Q. 3. *Quid, et quotuplex sit cessatio finis?*

R. Est ablatio motivi, ob quod lex lata fuit. Duplex est ablatio; *totalis*, et *partialis*: in priori casu cessat lex; ut jejunii lex pro pluvia obtinenda, ea obtenta: in posteriori non cessat, ut jejunii lex pro pluvia, et pace, alterutra tantum obtenta.

Q. 4. *Quid sit? et quotuplex esse valeat dispensatio?*

R. Dispensatio est juris relaxatio justa de causa. Duplex esse valet; *obreptitia*, si exponatur falsum; *subreptitia*, si taceatur verum: utraque nulla est. Item si fiat *absolute*, non expirat morte concedentis: secus, si ad *arbitrium nostrum*.

Q. 5. *Quid, et quotuplex sit privilegium, et quando amittatur?*

R. Est lex privata in favorem alicujus. Duplex est, *reale*, si loco, vel dignitati concedatur; *personale*, si personae, aut familiae. Amittitur. 1. *Lapsu temporis*, si sit ad tempus. 2. *Actu contrario*; quia censetur renunciatum. 3. *Abusu* ex Simplicio Papa. 4. *Negligentia* eo utendi per 40 annos, ex Innoc. III. 5. *Revocatione*. 6. *Renunciatione*, si sit particulare.

Q. 6. *Quid, et quotuplex sit consuetudo?*

R. Est jus moribus invectum, ac pro lege susceptum. Triplex est; *contra legem*, si eam abroget: *praeter legem*, si eam inducat: *juxta legem*, si eam exponat.

Q. 7. *Quae sunt conditiones consuetudinis?*

R. Sunt. 1. Communis utilitas. 2. Consensus Legislatoris. 3. Praxis majoris partis. 4. Actuum frequentia. 5. Legitima praescriptio, idest ann. 10; contra jus civile; et 40. contra Canonicum.

Q. 8. *Quid, et quotuplex sit interpretatio?*

R. Est legis declaratio. Duplex est *authentica*, si fiat a Legislatore, et vim legis habet; *doctrinalis*, si fiat a viris doctis, et caret vi legis: regulae servandae sunt. 1. *Scire leges non est verba tenere, sed vim.* 2. *Ubi lex non distinguit, distinguere non debemus.* 3. *Odia restringi, favores convenit ampliari*: hinc poena lata in Clericos, restringitur ad saeculares tantum Clericos; privilegium vero Clericis elargitum, ampliatur ad Regulares etiam.

Q. 9. *Quid sit Epikeja, seu bonum et aequum?*

R. Est interpretatio mentis legislatoris; quatenus in aliquo casu noluerit obligare. Dicitur *epikeja*, latine bonitas, et aequitas; quia a viris bonis, et aequis adhibetur, et quod de illorum consilio fit, *de bono*, *et aequo* fieri dicitur.

SPECULI THEOLOGIÆ CORDIS.

PARS II.

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS: UBI DE PECCATIS.

Quoniam ubi de virtutibus theologicis, de vitiis oppositis etiam hic agendum erit; opportunum visum est huic adjicere parti doctrinam de peccatis. Duo igitur sint hujusce partis capita. 1. De virtutibus theologicis, vitiisque oppositis. 2. De peccatis.

CAP. I.

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS, VITIISQUE OPPOSITIS.

Virtus ex D. Th. *est bona qualitas mentis, qua recte vivitur.* Vitium vero est *mala qualitas mentis, qua non recte vivitur.* Virtus theologica immediate fertur in Deum: moralis vero *mediate*, ut Religio medio cultu. Tres sunt virtutes Theologicae *Fides, Spes*, *Charitas*, De singulis, ut sequitur.

ART. 1.

De fide, vitiisque oppositis.

Q. 1. *Quid sit fides, quodve illius objectum?*
R. Ex Ap. hebr. 11. *Est argumentum non apparentium*, idest certitudo eorum, quae non vi-

demus, vel *est virtus divinitus infusa*, *qua credimus veritatibus a Deo revelatis*. Ejus objectum *materiale* est omne revelatum: *Formale* est veracitas Dei revelantis.

Q. 2. *Quotuplex sit fides?*

R. Multiplex. 1. *Habitualis*, idest habitus inclinans ad credendum. 2. *Actualis*, seu fidei actus. 3. *Implicita*, qua in genere credimus, e. g. quicquid Ecclesia docet. 4. *Explicita*, qua in specie credimus, e. g. mysterium Trinitatis. 5. *Viva*, quae jungitur charitati. 6. *Mortua*, quae a charitate sejungitur.

Q. 3. *An fides necessaria sit ad salutem?*

R. Maxime. Nam Matth. ultim. *Qui crediderit, salvus erit*, *qui non crediderit*, *condemnabitur*. Trid. *Fides est salutis initium*.

Q. 4. *Quando per se urgeant fidei actus?*

R. Urgent. 1. *Initio rationis*; ut quis testetur fidem in baptismo receptam. 2. *In periculo mortis*, ut quis, uti fidelis decedat. 3. *Saepius in vita*, quod alii ad annum, alii ad mensem, Scotus ad festum de praecepto; extendunt.

Q. 5. *Quando per accidens urgeant fidei actus?*

R. Urgent. 1. In conversione ad fidem. 2. In tentatione contra fidem. 3. In Justificatione fidelium. Innoc. XI. damnavit, tum *sufficit semel credidisse*: tum *singulis quinquenniis*.

Q. 6. *An extet praeceptum confitendi fidem exterius?*

R. Ita est: Nam Matth. 10. *Qui confitebitur me, confitebor eum*, *qui negaverit me*, *negabo eum*. Fidem porro negat. 1. Negans se esse fidelem. 2. Dicens se esse infidelem. 3. Utens signo protestativo Infidelium. At negans se esse Religiosum, Sacerdotem, etc. statum negat, non fidem.

Q. 7. *An fidem neget, qui interrogatus tacet?*

R. Si sit, vel interrogatus a persona publica; vel a privata coram aliis, vel videat irrideri fidem, vel tacendo scandalum oriatur; in hisce casibus, qui tacet, fidem negat. Extra hos casus, valet quis fugere ob timorem, Pastoribus exceptis.

Q. 8. *Quae sint explicite credenda necessitate medii?*

R. Quatuor ista. *Deum esse unum*; *Deum trinum*; *Deum incarnatum*; *Deum remuneratorem*. Haec ignorans incapax est absolutionis; nec excusat invincibilis ignorantia: contrarium est damnatum.

Q. 9. *Quae sint explicite, quaeve implicite credenda necessitate praecepti?*

R. Explicite, quae sunt in symbolo: implicite, quae docet Ecclesia de festis. Excusat invincibilis ignorantia; et in necessitatis casu valet quis absolvi, quamprimum discere paratus.

Vitia fidei opposita.

Q. 10. *Cum vitia fidei opposita* sint Infidelitas, apostasia, haeresis, schisma: nunc *quid*, *et quotuplex sit infidelitas?*

R. *Infidelitas* est carentia fidei nondum susceptae. Triplex est. *Negativa* in eo, qui de fidé nil audire potuit, quae peccatum non est; et contrariam Baji thesim damnavit Ecclesia. *Privativa* in eo, qui vel audire noluit, vel audivit indifferenter, quae mortifera est, cum sit omissio medii ad salutem. *Contraria* in eo, qui audivit, et contradicit, quae gravior est.

Q. 11. *Quid*, *et quotuplex sit apostasia?*

R. Est recessio a bono solemniter professo. Triplex est. *A fide*, *ab ordine*, *a Religione*. Si non

tota deseratur fides, est *haeresis*. *Apostasia* ab *ordine* requirit, ut ordo sit sacer, et deseratur animo ducendi vitam laicalem. Apostasia a *Religione* requirit, ut egressus fiat animo non redeundi; secus fuga erit, licet lethalis cum excommunicatione ipso facto.

Q. 12. *Quid, et quotuplex sit haeresis?*

R. Est error pertinax contra fidem susceptam. Duplex est *formalis*, si error sit interior, et voluntarius: *materialis*, si error sit vel exterior tantum, vel involuntarius. Item vel est *interna*, si non pateat; vel *externa* si foras erumpat; et haec vel est *occulta*, si soli erranti pateat, vel *manifesta* si aliis quoque innotescat.

Q. 13. *An dubius in fide sit haereticus formalis?*

R. Ita est, si dubitet, cognita re definita; ex illo Juris; *dubius in fide est haereticus*. Si dubitet; quia scire noluit rem definitam, vel scire neglexit, probabilius non est haereticus; quia negligens non est contradicens.

Q. 14. *Quid sit schisma, et an ab haeresi differat?*

R. *Schisma* latine *scissura*, est separatio a visibili Ecclesiae Capite. Duplex est; *purum*, si nullum includat errorem in fidem: *mixtum*, si includat. Prius ab haeresi differt.

Q. 15. *Quae sint poenae in schismaticos, et haereticos?*

R. In Schismaticos sunt. 1. Excommunicatio Papalis. 2. Privatio jurisdictionis spiritualis, si sint *vitandi*. In haereticos vero praeter dictas, sunt. 1. Privatio beneficiorum, dignitatum, et ecclesiasticae sepulturae; et qui eos sepeliunt, excommunicantur ipso facto. 2. Irregularitas; et infamia juris si sint notorii. 3. Receptores, et fautores *ip-*

so facto excommunicantur, et ecclesiastica sepultura privantur. Sic in jure.

Q. 16. *An licita sit communicatio cum infidelibus, et haereticis?*

R. Numquam in divinis: secus in politicis, modo excipiantur cohabitatio; famulatus; usus eorum medicorum; et mensa; excepta gravi necessitate. Disputatio de Religione permittitur Clericis tantum, si docti sint, et periculum absit. Libri gentilium ob elegantiam permittuntur. Judaeorum vero, Maurorum; haereticorum sub excommunicatione *ipso facto* prohibentur; et comprehenduntur imprimentes, retinentes, audientes, defendentes.

Q. 17. *An infideles, et haeretici cogi possint ad fidem?*

R. Quoad infideles: si sint in terris fidelium, non *directe* cogi possunt; quia non sunt Ecclesiae filii: bene vero *indirecte*, idest ut discedant, nisi convertantur. Quoad haereticos vero; *directe* ac censuris cogi possunt, ut Ecclesiae filii rebelles.

Q. 18. *Quid sit; et an permitti valeat libertas conscientiae?*

R. Ea est tolerantia sectarum in terris christianorum. Permitti valet, ob vitanda majora mala; modo non irrideatur christiana Religio, non erigatur Synagoga, et absit periculum.

ART. 2.

De spe, vitiisque oppositis.

Q. 1. *Quid, et quotuplex sit spes?*

R. Est virtus, qua homo fertur in Deum; ut in beatitudinem assequibilem. Multiplex est: *habitualis*, vel *actualis*, *implicita*, vel *explicita*, *viva*, vel *mortua*, uti fides: art. 1. quaest. 2.

Q. 2. *Quid sit objectum, quidve subjectum spei?*

R. Objectum est Deus; et duplex est; *materiale*, Deus ut beatificator, *formale* ut auxiliator. Subjectum est homo viator, quia huic est assequibilis beatitudo. Hinc excluduntur Beati, damnati, Animae purgatorii: nec in Christo fuit spes, quia semper beatus fuit.

Q. 3. *An extet spei preceptum, et quando urgeat?*

R. Extat: nam passim in Scripturis praecipitur; *spera in Deo. Sperate in Domino*; etc. et contrarium damnavit Alexander VII. Urget ut praeceptum fidei: sup. *art.* 1. *q.* 4. *et* 5.

Vitia spei opposita.

Q. 4. *Quae sint vitia spei opposita?*

R. Sunt 1. *Praesumptio* idest falsa fiducia salutem obtinendi, vel sola vi propria, vel sola vi divina. 2. *Desperatio* idest diffidentia obtinendi gratiam, veniam, gloriam; et qui ob hanc diffidentiam cupit non esse, vel annichilari, graviter peccat.

Q. 5. *An desperatio stare valeat cum fide?*

R. Stare valet. 1. In eo, qui desperat ob sua crimina, et ob Deum juste nolentem: nam sic nullum laeditur Dei attributum. 2. Stare nequit in eo, qui desperat, quia Deus vel non vult, vel non potest.

Q. 6. *An liceat ei desperare, cui revelata fuerit reprobatio?*

R. Licet haec revelatio plerumque illusio sit; fieri tamen valet, sicuti praedestinationis. In hypothesi; alii cum Condensonio docent non licere, quia urget spei praeceptum, ut alia praecepta. Alii probabilius affirmant; quia cessante spei objecto,

beatitudine scilicet ut assequibili; cessat et ejus praeceptum: secus ipsa spes ferretur in nihil.

ART. 3.

De charitate, vitiisque oppositis.

Q. 1. *Quid sit charitas, quod ejus objectum, Quae efficia?*

R. Ea est virtus, qua Deum diligimus propter se, et proximum propter Deum. Objectum *primarium* est Deus; *secundarium* proximus, idest quisquis est beatitudinis capax in coelo, in terra, in Purgatorio. Officia sunt, quod Deo placet, et proximo prosit.

Q. 2. *An extet praeceptum charitatis in Deum? Quomodo, et quando urgeat?*

R. Extat Matt. 22. *Diliges Dominum Deum tuum.* Est *diligendus toto corde, tota mente, tota anima*; Ibidem, idest semper, ac super omnia, idest ut parati simus mori potius, quam Deum offendere, vel non amare. Urget sicuti fidei praeceptum, ut *art.* 1. *q.* 4. *et* 5.

Q. 3. *An extet praeceptum amoris in proximum; et quomodo amandus?*

R. Extat Matt. 22. *Diliges proximum tuum, sicut teipsum.* Modus amandi est sicuti nos ipsos, idest amore interno, et externo; quoad animam, et corpus: Nam Innoc. X. damnavit. *Sufficit externus.*

Q. 4. *An, et qualis ordo sit in amore proximi servandus?*

R. Est ordo amoris: nam Cant. *Ordinavit in me charitatem.* Hic autem ordo respicit. 1. *Personas*, ut praeferantur boni malis, amici extraneis,

proximiores remotioribus. 2. *Bona*, ut praeferatur spirituale temporali, vita honori, honor fortunae. 3. *Necessitatem*, ut praeferatur extrema gravi, gravis communi.

Q. 5. *An teneamur aliquando succurrere proximo cum vitae periculo?*

R. Sic tenemur in extrema tantum spirituali necessitate: Pastores etiam in gravi; ut si conferendum sit baptisma, vel explicanda, quae sunt *medii*, sub metu inter hostes, modo sit juvandi spes. Valet etiam quis, at non tenetur, ex charitate praeferre suae proximi vitam.

Q. 6. *An, et quomodo peccatores, et inimici sint diligendi?*

R. Diligendi sunt quoad *naturam*, quae a Deo est; Matth. 5. *Diligite inimicos vestros*: non quoad *culpam*, quae a malo est; Psal. 118. *Iniquos odio habui*. Modus amandi est, tum *interne* bona cupiendo, tum externe benefaciendo sicut oportet, ac signa benevolentiae exhibendo, nisi specialia, quae charis, communia saltem quae omnibus dari solent.

Q. 7. *An aliquando exhibenda sint inimicis specialia signa?*

R. Ita est duobus in casibus. 1. In extrema necessitate, ut si petant illa signa, nec sine illis resipiscant. 2. Ob scandalum vitandum, si ex illorum signorum negatione sequeretur.

Q. 8. *An et quomodo sint inter se inimici reconciliandi?*

R. Reconciliatio est petitio veniae, ac offensae remissio. Obligat sub gravi; Matth. 5. *Si offers... vade prius reconciliari*. Laesor prius tenetur petere veniam, et laesus acceptare pacem, licet exigere possit satisfactionem honoris, et damni.

Q. 9. *Quid si laesor velit perire potius, quam satisfacere laeso?*

R. In hoc casu, laesor valet ex charitate satisfactionem condonare; quia juri suo quisque cedere potest. Potest, non tenetur; quia laesor non est in extrema necessitate, ut q. 5. Si perit, voluntarie vult perire nolens justitiae leges implere.

Q. 10. *Quid sit eleemosina? An obliget? De quo facienda?*

R. Ea est sublevatio alienae miseriae. Duplex est: *spiritualis*, et *temporalis*, prout est miseria sublevanda. Eleemosina est in praecepto; Eccli. 4. *Eleemosinam pauperi ne defraudes.* In extrema necessitate facienda est de propriis, et alienis vitae superfluis; quia tunc omnia sunt communia. In *gravi*, de propriis tantum vitae superfluis. In *communi* de propriis statui superfluis.

Q. 11. *Quid sit correctio fraterna? an, et quos obliget?*

R. Ea est affectuosa monitio proximum revocans a peccato. Obligat sub gravi, si grave sit peccatum, vel peccandi periculum Eccli. 17. *Corripe proximum, ne forte iteret.* Omnes tenentur, ut infr. nam ibid. *Unicuique mandavit Deus de proximo.*

Q. 12. *Quae sint conditiones, ut obliget correctio?*

R. Quinque sunt, quarum una deficiente, non obligat sub gravi. 1. Ut peccatum sit grave, secretum, moraliter certum. 2. Ut sit probabilis spes fructus. 3. Ut non sit alius superior, vel magis idoneus; vel sit, ac nolit. 4. Ut correctio sit necessaria. 5. Ut fieri possit sine gravi corrigentis damno.

Q. 13. *Qui ordo servandus sit in correptione?*

R. Ex Matth. Monendus est proximus. 1. Se-

creto; *Inter te et ipsum solum*. 2. Coram aliis; *Si non audierit adhibe testes*. 3. Superiori denuncietur; *Si non audierit, dic Ecclesiae*. Qui timore, verecundia etc. non corrigit, non graviter peccat, nisi sit Praelatus; *ex D. Th.*

Vitia charitati opposita.

Q. 14. *Quae sint vitia charitati opposita?*

R. Sunt odium, maledictio, discordia, rixa, contentio, seditio, duellum, et bellum. De singulis pauca, ut sequitur.

Q. 15. *Quid, et quotuplex sit odium, et quale peccatum?*

R. Odium est indignatio in Deum, vel proximum. Duplex est *inimicitiae*, si malum quis cupiat personae: *abominationis*, si malum abhorreat, v. g. vitium. Prius in *Deum* non admittit parvitatem; in *proximum* vero est grave, vel leve, prout est malum, quod ei appetitur. Posterius in Deum non datur, quia summe bonus; in proximum laudatur, quia est odium vitii.

Q. 16. *Quid sit maledictio: quid discordia: quidve rixa?*

R. *Maledictio* est imprecatio mali: in *Deum*, et *Sanctos* semper est grave, ob injuriam: in *proximum*, prout est malum: in *irrationalia*, non est peccatum, nisi ob iram; quia si occidi valent, maledici quoque; modo non maledicuntur, ut *Dei* creaturae. *Discordia* est dissentio unius ab alio. *Rixa* est pugna manuum, et verborum: peccatum est pro ratione injuriae, scandali, damni.

Q. 17. *Quid sit contentio, quidve seditio?*

R. Contentio est inordinata verborum alteratio; gravis erit, vel levis, pro ratione injuriae, scan-

dali, etc. *Seditio* est bellum reipublicae in principem; vel unius partis in aliam: semper est grave, quia bellandi jus est in suprema potestate.

Q. 18. *Quid, et quotuplex sit bellum? an licitum? Quid represaliae?*

R. *Bellum* est pugna inter duo regimina. Duplex est; *offensivum*, ad resarciendam injuriam: *defensivum*, ad injuriam praecavendam; utrumque licitum, si fiat justa de causa sine odio. *Represaliae*, sunt rerum acceptiones in bello gerendo: licitae sunt si fiant ob expensas belli justi, et non in Clericos, sub excommunicatione.

Q. 19. *Quae sunt regulae in bello servandae?*

R. Sunt 1. Ut prius petatur satisfactio, et negetur. 2. Ut media non laedant Religionem, et justitiam. 3. Ut bona capta immobilia sint Principis, mobilia militum. 4. Ut non laedatur data fides, nec vexentur, qui arma non stringunt. 5. Ut Clerici, ac monaci non pugnent sine Papae licentia.

Q. 20. *Quid, et quotuplex sit duellum?*

R. Est *duorum bellum*: nam grece *monomachia* a *monos*, idest unus, et *machia*, idest bellum; adeoque unius in alium. At definitur; *singulare certamen ex condicto, statuto tempore, ac loco cum periculo laesionis*: nam si casu fiat, non est formale. Duplex est; *solemne*, si sit cum patrinis, testibus, etc. *privatum*, si secus.

Q. 21. *Quale peccatum sit duellum? et an aliquando licitum?*

R. Est grave peccatum ob periculum corporis, et animae. Alex. VII. damnavit hanc thesim: *Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam incurrat.* Licitum est ob vitam tuendam, si aliter tueri nequeat, et ad bellum finiendum.

Q. 22. *Quae sint poenae duellantium?*

R. Ex Trid. excommunicatio Papalis; perpetua infamia, privatio sepulturae, si quis moriatur, etc. comprehenduntur locum dantes; suasores, spectatores ex industria, non casu; provocans etsi alius non acceptet: accedentes, licet non sequatur pugna.

CAP. II.

DE PECCATIS.

Peccatum spectari valet in *genere*, idest quoad ejus naturam, divisionem, distinctionem, etc. et in *specie*, quoad diversas illius qualitates. Claritatis ergo sit.

ART. I.

De peccatis in genere.

Q. 1. *Quid, et quotuplex sit peccatum?*

R. Ex D. Ambr. est *libera legis violatio.* Dividitur. 1. In *originale*, quod ab Ada trahit originem, et *personale*, quod ab alia persona fit. 2. In *habituale*, quod est facilitas ad peccandum; et *actuale*, quod est actus pravus. 3. In *mortale*, quod est gravis laesio legis; et *veniale*, quod est levis. 4. In peccatum *commissionis*, quod praecepto negativo adversatur; et *omissionis*, quod affirmativo. 5. In peccatum *cordis*, *oris*, *operis*: et ignorantiae, infirmitatis, ac malitiae; quae per se patent.

Q. 2. *An plura peccata sint una macula? an vero distinguantur?*

R. Non sunt una macula: nam sicuti unum non est aliud; sic unius macula non est alia. Hinc il-

lud Jacob. 2. *Qui offendit in uno, factus est omnium reus*, innuit eamdem poenam, non eamdem maculam. Duplex est distinctio peccatorum; *specifica* , quae respicit diversas malitias; et *numerica* , quae diversos actus ejusdem malitiae.

Q. 3. *Unde desumatur distinctio specifica peccatorum?*

R. Ex objectis specie distinctis; et specie distinguuntur. 1. Si opponantur diversis virtutibus: ut *furtum*, et *simonia*, quae opponuntur justitiae, ac Religioni. 2. Si opponantur diversis officiis ejusdem virtutis: ut *detractio*, et *mutilatio*, quae opponuntur eidem virtuti justitiae, sed quoad honorem, et quoad vitam. 3. Si opponantur eidem virtuti per *excessum*, et per *defectum*: ut prodigalitas, et *avaritia* eidem liberalitati.

Q. 4. *An distinctio specifica peccatorum desumatur etiam a diversitate praeceptorum, circumstantiarum, et finis?*

R. Tunc id verum est, cum praecepta, circumstantiae, ac finis indicant, vel diversas virtutes, vel diversa officia ejusdem virtutis, vel excessum, et defectum in eamdem virtutem; *ut sup. qu.* 3.

Q. 5. *Unde desumatur distinctio numerica peccatorum?*

R. Desumitur ex objectis, et actibus numero distinctis; et numero distinguuntur, cum vel unus actus respicit plura objecta distincta, ut qui cupit occidere plures personas, blasphemare plures sanctos, violare plures Virgines, aut pluries cum eadem fornicari: vel plures actus interrupti respiciunt idem objectum, ut qui pluries repetat desiderium cum eadem fornicandi.

Q. 6. *Quotupliciter pravi actus interrumpuntur?*

R. Tripliciter; *physice*, per somnum, oblivionem; etc. *moraliter* per voluntariam cessationem: *virtualiter* per actum virtutis, praesertim doloris. Hinc qui post somnum, cessationem, vel actum virtutis resumit desiderium, vel actum pravum, nova peccata facit.

Q. 7. *An peccata sint aequalia? an dentur venialia? et quomodo à mortalibus venialia distinguantur?*

R. Non sunt aequalia: nam Jo: 19. Christus ait Pilato: *Qui me tradidit tibi, majus peccatum habet.* Dantur venialia: nam Prov. 24. *Septies in die cadit justus*: ergo si pluries cadendo manet justus, casus ejus sunt veniales. Distinguuntur a mortalibus venialia levi, vel gravi laesione justitiae, vel charitatis in Deum, nosmetipsos, et proximum.

Q. 8. *Quot ad mortale requirantur, et an veniale fieri valeat?*

R. Tria requiruntur; *advertentia perfecta*, *consensus plenus*, *materia gravis*: in dubio de advertentia, vel consensu, persona spectanda est, si laxae sit, vel timoratae conscientiae. Fit vero veniale ex imperfecta advertentia, ex imperfecto consensu, ex parvitate materiae, ubi datur; nam in luxuria, etc. non datur.

Q. 9. *An veniale fieri valeat mortale; et quomodo?*

R. Per se nunquam: nec plura unum efficiunt mortale: nam natura non mutatur. Per *accidens* vero fieri valet. 1. Ex errore; ut si credatur mortale, ac fiat. 2. Ex formali contemptu legis, ac Legislatoris. 3. Ex pravo fine, ut leve mendacium ob fornicandum. 4. Ex coalitione materiae, ut in repetitis furtis minutis. 5. Ex omni gravi circum-

stantia, ut si leve sit sibi, vel aliis gravi periculo, gravi damno, etc. Verum in hisce casibus, non natura venialis mutatur in mortalis; sed mortale nectitur veniali.

ART. 2.

De peccatis in specie.

Q. 1. *Quid sit originale peccatum? an existat? quae illius poenae?*

R. Est mortale delictum ab Ada in posteros transfusum. De fide existit. Rom. 5. In quo (Ada) *omnes peccaverunt.* Excipitur Maria, quam Trid. noluit comprehendi in decreto peccati originalis. Poenae in hac vita, miseriae, ac mors; in altera, damnatio, quae ex D. Th. est sola damni poena.

Q. 2. *Quid sit habituale peccatum; et ad quid teneatur habituatus?*

R. Est macula manens ex actuali peccato, et ad peccandum inclinans. Habituatus dolere tenetur, et conari habitum destruere: secus etiam ex inadvertentia peccat, utpote in causa, quam potest, ac debet vitare. Si vere doleat, et conetur, habitus donec destruatur, manebit ut poena, et inadvertentiae peccata materialia erunt, ablata causa formali, *ut p.* 1. *cap.* 1. *art.* 2. *Q.* 9. *de ignor.*

Q. 3. *Quid sit peccatum in spiritum Sanctum?*

R. Est, quod fit pura malitia; et dicitur in Spiritum S. quia si peccatum *infirmitatis* opponitur potentiae Patris; *ignorantiae*, sapientiae Filii; *malitiae*, bonitati Spiritus S., quae peccata praesertim sunt desperatio, praesumptio, impugnatio veritatis, etc.

Q. 4. *Cur peccatum in Sp. Sanctum irremisibile dicatur?*

R. Sic dicitur (Matth. 12. *Qui dixerit verbum, in Sp. Sanctum non remittetur ei*): non defectu potestatis; nam indefinite ait Christus; *Quorum remiseritis peccata*; sed defectu doloris, quem non habet, qui gratiae Spiritus S. resistit.

Q. 5. *Quot sint peccata capitalia; et cur ita dicantur?*

R. Sunt septem. *Superbia, avaritia, luxuria, ira, gula, invidia, accidia.* Dicuntur capitalia, quia sunt veluti capita, ex quibus alia ejusdem generis veluti filii oriuntur.

Q. 6. *Quid sit superbia, et quale peccatum?*

R. *Est inordinatus appetitus excellentiae propriae.* Est genere suo mortale; quia sic esse valet. Hinc qui extollitur ad gravem usque Dei, et proximi injuriam graviter peccat: secus venialiter: Superbiae filiae sunt praesumptio, ambitio, etc.

Q. 7. *Quid sit avaritia, et quale peccatum?*

R. *Est inordinatus appetitus divitiarum.* Si opponatur justitiae, peccatum erit prout damnum: si vero charitati, grave peccatum est, si non succurrat extremae saltem necessitati: secus si gravi, vel cupiat fieri dives, vel nobilis. Filiae sunt tenacitas, etc.

Q. 8. *Quid sit luxuria, et quale peccatum?*

R. *Est inordinatus appetitus venereae voluptatis.* In ea non datur materiae parvitas; sed ex imperfectione tantum advertentiae, vel consensus levis erit. At de ea in 6. *Decal. praecepto.*

Q. 9. *Quid, et quotuplex sit ira et quale peccatum?*

R. *Est inordinatus appetitus vindictae.* Duplex est; per *zelum* si sit ex justa causa, et debito modo: per *vitium*, si secus sit. Posterior, vel spectat malum inferendum, et prout est malum, pec-

catum erit; vel modum irascendi, et erit gravis, vel levis, prout minuat dilectionem in Deum, et proximum.

Q. 10. *Quid sit gula, et quale peccatum?*

R. *Est inordinatus appetitus cibi, et potus.* Graviter peccat, qui scienter, vel edit, et bibit usque ad vomitum: vel vomitum provocat, ut plus edat, et bibat: vel edit, et bibit cum gravi sanitatis damno: vel utatur humana carne, ac sanguine; quia haec graviter rationi adversantur. Edere, ac bibere ad satietatem ob solam voluptatem, saltem est veniale, quia Innoc. XI. damnavit, *nullum esse peccatum.*

Q. 11. *Quid sit ebrietas, et quale peccatum?*

R. *Est excessus in potu inebriante*, sive vino, sive alio. Duplex est; *completa* si extinguat; *incompleta* si minuat usum rationis. Prior ita gravis est, ut Aug. ser. 32. de temp. dicat. *Etiamsi tibi dicatur, aut bibas, aut morieris, melius est, ut occidatur caro.* Posterior est levis, si quis non fiat ineptus ad rem gravem.

Q. 12. *Quid sit invidia, et quale peccatum?*

R. *Est tristitia de bono alterius.* Si jungatur desiderio, ut quis non habeat, vel minus habeat, peccatum erit prout est damnum, quod cupit. Si excitet desiderium plus habendi, est leve. Si desiderium sit boni spiritualis proximi, erit emulatio sancta.

Q. 13. *Quid sit accidia, et quale peccatum?*

R. Est taedium de bono spirituali. Si per eam omittatur aliquid de gravi praecepto, gravis est ipsa. Si bonum fiat cum quadam tristitia, erit venialis; Qui ouperet, vel non esse, vel esse irrationalis, vel semper esse in hac vita, graviter peccaret in Deum creatorem, et finem creationis.

*

SPECULI THEOLOGIÆ CORDIS.

PARS III.

DE JURE, AC JUSTITIA, UBI DE CONTRACTIBUS.

In duo capita pars haec divisa erit. 1. De jure, ac justitia. 2. De contractibus. Sit itaque.

CAP. I.

DE JURE, AC JUSTITIA.

Q. 1. *Quid, et quotuplex sit jus?*

R. *Jus* est facultas ad aliquid, cujus violatio injuria est. Duplex est *reale*, seu in *re*, quae possidetur; et *personale*, seu ad *rem* quae possidenda erit.

Q. 2. *Quid, et quotuplex sit justitia?*

R. Est facultas jus suum cuique tribuendi. Triplex est: *Commutativa*, idest inter rem, et rem, vel inter rem, et pretium: *distributiva* idest inter merita, et praemia: *legalis*, idest inter Principem regentem, et Subditos obsequentes.

Q. 3. *In quo differat justitia commutativa a distributiva?*

R. Differt 1. Quia *commutativa* exigit proportionem *arithmeticam*, seu aequalitatis: *distributiva* vero proportionem *geometricam*, seu condignitatis, ut plus accipiat, qui plus meretur. 2. Quia

laesio commutativae inducit restitutionem, cum sit laesio juris acquisiti: secus laesio distributivae, cum sit laesio juris acquirendi.

Q. 4. *Quid sit injustitia, et quale peccatum?*

R. Est violatio alieni juris, sive *in re*, sive *ad rem*: et nomine rei veniunt bona vitae, honoris, fortunae. Peccatum est genere suo grave, nisi materiae parvitas excuset: at restitutionem parit sola laesio juris *alieni* acquisiti, ut sup. *Q.* 3.

Q. 5. *An volenti etiam, et consentienti fieri valeat injuria?*

R. Si velit sine vi, metu, dolo, stat illud juris; *Volenti*, et *consentienti non fit injuria.* Si secus velit, fit injuria; quia laeditur satis jus alienum: et si laesio fuerit juris acquisiti, restitutionem parit.

Q. 6. *Quae sint praecipuae Juris species?*

R. 1. *Usus*, qui est facultas utendi re aliena, et fructibus ejus pro se, ac familia, quin fructus alienare possit. 2. *Usufructus*, qui est facultas utendi re aliena, et etiam alienandi ejus fructus. 3. *Enphyteusis*, idest facultas utendi re immobili aliena in perpetuum, vel saltem decennio cum onere pensionis domino rei. In his tribus, semper salva rei substantia. 4. *Dominium*, de quo deinceps.

ART. I.

De dominio generatim.

Q. 1. *Quid, et quotuplex sit dominium?*

R. *Est jus disponendi de re* propria. Multiplex est. 1. Est *jurisditionis*, idest jus in suos subditos. 2. Est *proprietatis*, idest jus in res proprias. 3. Est *altum*, quod habet Rex, vel respublica in

bona Subditorum, pro communi utilitate. 4. Est *humile*, quod habet civis in res suas. 5. Est *perfectum*, quod includit proprietatem, et usumfructum. 6. Est *imperfectum*, quod includit vel proprietatem tantum, vel usumfructum.

Q. 2. *Quid sit objectum dominii?*

R. Est id, de quo disponere quis valet; idest 1. De bonis fortunae, sine aliorum damno: secus disponeret de re non sua. 2. De sua libertate, ac se vendere in mancipium; et Filios etiam in summa egestate. 3. De sua fama, et se infamare motivo virtutis; modo scandalum absit, et aliorum damnum. Numquam vero de sua vita. Nam *Deus potestatem habet vitae, et mortis.* Sap. 16.

Q. 4. *De quibus bonis dominium habeant Filiifamilias?*

R. De *castrensibus*, quae militia eis obveniunt; et *quasicastrensibus*, quae beneficio, ac officio publico; perfectum dominium habent. 2. De *profectitiis*, quae negotiatione bonorum patris; vel donatione intuitu patris acquirunt, nullum dominium habent. 3. De *Adventitiis*, quae haereditate, donatione, labore acquirunt, ipsi proprietatem, et parentes utilitatem habent. *Comm.*

Q. 5. *De quibus bonis dominium habeant uxores, ac mancipia?*

R. Uxores in bona *extradotalia* perfectum habent dominium: in *dotalia* vero, ipsae proprietatem, et mariti usumfructum. *Mancipia* nullum dominium habent in bona fostunae; quia quod acquirunt, Domino acquirunt.

Q. 6. *An Clerici dominium aliquod habeant?*

R. De bonis suis perfectum: de beneficii fundo nullum; quia est Ecclesiae. De beneficii fructibus sic habent, ut quae congruae sustentationi

supersunt, in usus pios convertant. De parsimonialibus, quae congruae sustentationi, et honestae recreationi subtrahuntur, disponere valent ad libitum, quia sunt fructus austeritatis, ait Vigandt.

Q. 7. *An Religiosi dominium aliquod habeant?*

R. Mendicantes non ipsi dominium habent in bona monasterii, sed Papa, de cujus mensa edere dicuntur. Possidentes vero habent in communi tantum; licet ex usu tolerato quisque in communi scrinio, vel in cella depositum separatim habeat, modo nihil interroganti Superiori occultet.

ART. 2.

De modo acquirendi dominium.

Q. 1. *Quotupliciter acquiri possit dominium?*

R. Praescriptione, inventione, commixtione, accessione, specificatione, et quovis contractu, ut sequitur.

Q. 2. *Quid sit praescriptio, seu usucapio?*

R. Est acquisitio dominii continuatione temporis a lege praescripti. Id in jure statuitur, ne incerta semper sint dominia. Hinc si post praescriptionem compareat dominus, praescribens in nullo foro, nec *fori*, nec *poli* restituere tenetur.

Q. 3. *Quae sint conditiones legittimae praescriptionis?*

R. Sunt 1. *Res apta*: nam sacra, et pubblica non praescribitur. 2. *Bonu fides*: nam possessor malae fidei non praescribit. 3. *Justus titulus*: sufficit *coloratus*, ut si res possideatur titulo haereditatis, licet occulte sit injustus. 4. *Perfectum dominium.* 5. *Tempus* a jure statutum, ut infra:

Q. 4. *Quae temporis continuatio ad praescriptionem requiratur?*

R. *Triennium*, si res sit mobilis, ac praesens; et quadrienninm si absens. *Decennium*, si res sit immobilis, ac praesens; et vicennium si absens. At si res sit Ecclesiae Romae, centenarium; si Ecclesiae Regularis, sexagenarium. Si aliarum, quadragenarium.

Q. 5. *An cum dubia fide praescribatur?*

R. *Neg.* si dubium sit *antecedens* possessionem; sed vel dubium est evacuandum; vel res dividenda cum eo, de quo dubitatur. *Affirmative*, si sit *subsequens*; ex illo Juris; *Dubium superveniens possessori bonae fidei obesse nequit*: obesset namque, si praescriptionem abrumperet.

Q. 6. *Cujae sint res inventae?*

R. Si dominus inveniri possit, illius sunt: nam Ang. *Si quid invenisti, et non restituisti, rapuisti.* Si secus; multi docent erogandas esse in pios usus: alii dicunt esse inventoris, cum nullum sit jus in contrarium: Wigandt.

Q. 7. *Cujus sit thesaurus inventus?*

R. Thesaurus est quantitas pecuniae, vel rei pretiosae, ignoto domino. Si inveniatur in proprio, vel communi fundo; est inventoris. Si in alieno, cum domino fundi est dividendus. Qui emit fundum, quia detexit in eo thesaurum; hunc suum facit, uti fundum; ex Matth. 13. *Quem, qui invenit abscondit, et emit agrum illum.* At locorum leges, ubi existant, servandae sunt.

Q. 8. *Cujae sunt res fundi communis, ut aves, pisces, ferae, ligna?*

R. Si non extet prohibitio Principis, sunt capientium. Si extet, violator non tenetur restitue-

re; quia censetur lex pure poenalis. Si fundum Princeps locabit, capiens peccat, ac restituere tenetur locatario pro illato damno.

Q. 9. *Cuja sint animalia vagantia?*

R. *Domestica* sunt domini, eique restituenda, ut gallinae, oves etc. *Sylvestria*, si aufugiant a Domino, capientis sunt; quia Domino nulla est recuperandi spes. Si unus feram vulneret, et alius capiat; est vulnerantis, si eam insequatur: secus est capientis. Si animalia sylvestria sint cicurata, seu mansuefacta, et redire soleant, sunt domini; secus sunt capientis.

Q. 10. *Quibus aliis modis acquiratur dominium?*

R. Alluvione, specificatione, accessione, etc. ut sequitur; 1. *Specificatione*, si res aliena mutetur in aliam, ut lana furata in vestem: tunc vestis est furantis; sed hic tenetur ad aequivalens 2. *Alluvione*, si aqua insensibiliter detrahit ex uno fundo, et adjiciat alteri; modo damnum non pateat, nec probetur. 3. *Accessione*: si pinxeris domum alienam non vocatus: tunc pictura est domini domus, quin hic ad aliquid teneatur. 4. *Commixtione*, si res aliena cum tua confundatur, si secerni nequeat, ut vinum cum vino, vinum erit tuum, et ad aequivalens teneris. 5. *Inaedificatione*, si aliena materia aedifices in tuo fundo; aedificium est tuum, et teneris ad aequivalens. Si vero ex tua materia in alieno fundo, fundi dominus ad nihil tenetur. 6. *Transplantatione*: si figas plantas in alieno fundo; si radices egerint, domini sunt fundi, et hic ad nihil tenetur: si vero non egerint radices, plantae sunt tuae, at teneris ad damnum. 7. Quod ex fundo, animali, serva, etc. oritur, eorum domini est.

CAP. II.

DE CONTRACTIBUS.

ART. I.

De contractibus in genere.

Q. 1. *Quid, et quotuplex sit contractus?*

R. *Contractus* est duorum, vel plurium in idem placitum consensus. Dividitur 1. In *nominatum*, qui nomen habet, ut venditio, etc. et in *innominatum*, qui nomine caret, et quadruplex est: *Do ut des*, *Do*, *ut facias*: *Facio*, *ut facias*: *Facio, ut des*. 2. In *gratuitum*, qui obligat unam partem, ut promissio; et *onerosum*, qui utramque partem ut census, etc. Materia contractus est id, de quo disponere valent contrahentes.

Q. 2. *Quot requirantur ad valorem contractus?*

R. Quinque 1. *Usus rationis*: hinc excluduntur amentes etc. 2. Arbitrium disponendi: unde excipiuntur pupilli, filii familias; etc. 3. *Capacitas rei contrahendae*: hinc excluduntur res sacrae ut tales, etc. 4. *Mutuus consensus*, qui sit liber, et externus. 5. *Solemnitas Iuris*, si statuatur sub nullitate.

Q. 3. *An aliquando, et quomodo Filii familias contrahere valeant?*

R. Filius familias dicitur; qui est sub patria potestate. 1. Si sit puber, contrahere valet de suis castrensibus, et quasi castrensibus, in commodum, et damnum, etiam sine patris licentia. 2. Si sit impuber, ad dictum contractum requiritur licentia patris: secus in suum commodum

tantum: hinc ludendo, si acquirit, sibi acquirit; si perdit, ad nihil tenetur.

Q. 4. *An aliquando, et quomodo pupilli, et minores contrahere valeant?*

R. *Pupillus* dicitur, qui Patre carens, est sub Tutore usque ad annos 14 *Minor* est sub Tutore donec emancipetur Hi 1. De bonis *immobilibus*, nonnisi Judicis decreto contrahere valent. 2. *De mobilibus* vero ad amussim ut Filii familias; ut sup. q. 3.

Q. 5. *An aliquando, et quomodo prodigi, et uxores contrahere valeant?*

R. *Prodigus* est, qui dissipat bona sua: et Judicis est definire, an, et de quo contrahere possit. *Uxor* de suis extradotalibus libere contrahere valet: de fructibus vero dotis cum licentia mariti.

Q. 6. *An valeat contractus metu, errore, dolo initus?*

R. 1. Si metus sit *justus*, valet omni jure: si vero *injustus*, valet jure naturae; at jure Canonico, quidam sunt irriti, et quidam irritandi, ut *P.* 1. *c.* 1. *art.* 2. *Q.* 13. et seq. 2. Si error, et dolus sint de rei substantia, ut aqua pro vino, non valet: secus si de rei qualitate, ut vinum mixtum pro puro; quia qualitas non mutat naturam; modo qualitas non reducatur in pactum.

Q. 7. *An valeat contractus sine intentione interiore?*

R. Alii negant. Alii probabilius affirmant, si contractus fuerit serio initus: secus ubi pax, ubi societas? quisque dicere posset nolui: et esto assentiri cogatur, quis scit illum interius velle?

Q. 8. *An valeat contractus sine Juris solemnitate initus?*

R. Negative, si solemnitas statuta sit, sub nul-

litate, ut testes in matrimonio. Secus vero, si simpliciter sit statuta; quia tunc valet illud Juris; *Multa facta tenent, quae fieri prohibentur.*

Q. 9. *An contractus invalidus juramento firmetur?*

R. Si sit a Jure *irritus*, ut matrimonium metu initum, non firmatur, quia non subsistit: nec juramentum obligat. Si vero sit irritandus, ut promissio metu latroni facta, firmatur, et obligat, nisi a legitima potestate juramentum solvatur.

Q. 10. *An, et quomodo valeat contractus disjunctivus?*

R. Si disjunctio respicit res diversae speciei, ut *dabo ovem, aut bovem*, ad quod vult, tenetur promissor: at uno pereunte sine culpa promissarii, ad aliud tenetur. Si vero res sint ejusdem speciei, ut *dabo duas, aut tres oves*; *post mensem, aut annum*, promissor tenetur ad duas, post annum.

Q. 11. *An, et quomodo valeat contractus conditionatus?*

R. Si conditio sit de praesenti, praeterito, et futuro necessario, statim valet contractus. Si sit de futuro contingenti; *ut si pater voluerit*, *si cras pluerit*; contractus manet suspensus: at si una pars impediat conditionem, tenetur. Si sit impossibilis vel turpis, nullus est contractus; excepto matrimonio, testamento, Legato, in quibus habentur illae conditiones pro non adjectis. Si sit haec; *si nupseris*, vel si *non ingredieris Religionem*, habentur pro non appositis, in favorem Religionis; et si mulier non nupserit; vel Religionem ingrediatur, promissor tenetur.

ART. 2.

De contractibus in specie.

Praeter innominatos, ut *sup. art.* 11, *Q.* 1. quam plures sunt contractus species, ut 1. Mutuum, ubi de usura. 2. Venditio, et emptio. 3. Mons pietatis, cambium, census. 4. Societas, locatio, conductio. 5. Pignus, hypotheca, transactio. 6. Fidejussio, mandatum, depositum. 7. Commodatum, precarium, promissio, donatio, ludus, sponsio. 8. Testamentum, codicillum, legatum, Fideicommissum etc. igitur.

De mutuo, ubi de usura.

Q. 1. *Quid sit mutuum, et quas pariat obligationes?*

R. *Mutuum* dicitur, quia *meum fit tuum*; et *est traditio rei consumptibilis cum ejus dominio, ut eadem restituatur.* Qui dat *mutuator* vocatur, et exigere nequit plusquam sit res: qui recipit *mutuatarius* dicitur, et reddere debet in eadem specie, ac valore. Re pereunte licet fortuito, mutuatario illa perit.

Q. 2. *Quid sit usura; et quo jure vetita?*

R. *Est lucrum ex mutuo, et vi mutui.* Hinc si quid ex sola gratitudine recipitur, usura non est: et haec thesis; *Non est uxura exigere aliquid ex gratitudine debitum*: damnata est ob vocem *debitum.* Vetita est Luc. 6. *Mutuum date nihil inde sperantes.*

Q. 3. *Quotuplex sit usura?*

R. Duplex est; *mentalis*; si aliquid ex mutuo

speratur: *realis*, si reipsa exigitur: et haec est *vera*, si pactum sit expressum; *palliata* si sit tacitum, uti est in eo, qui non gratis mutuum dare solet.

D. *Quid, et quotuplex esse valeat lucrum ex mutuo?*

R. Est pecunia, et omne pretio extimabile. Hinc triplex est; *munus* a *manu*, id est pecunia, vel res alia: *munus* a *lingua*, id est laus, adulatio, etc. *munus ab obsequio*, id est exhibitus honor, vel servitus. Requiritur tamen, ut haec fiant, et exigantur ex debito.

Q. 5. *An liceat aliquando aliquid exigere ob mutuum?*

R. Licet tripliciter. 1. Ob *lucrum cessans*; ut si mutuator ob mutuum non agat suum negotium. 2. Ob *damnum emergens*; ut si malum aliquod incurrat. 3. Ob *periculum sortis*; ut si haec amitti possit. Sic enim non vi mutui exigitur aliquid, sed motivis extrinsecis. At requiritur, ut de his moneatur mutuatarius, et hic consentiat.

Q. 6. *Quid sit, et an liceat contractus antichriseos?*

R. Est acceptio pignoris in mutuo, et ejus fructus perceptio, donec restitutio fiat: vel si pignus non sit frugiferum, ejus amissio, si statuto tempore non fiat restitutio. Licitus est ob lucrum cessans, damnum emergens, periculum sortis, ut *sup*, *Q*. 5. secus est usurarius.

Q. 7. *An petere liceat sub usura; et ad quid teneatur usurarius?*

R. Licet in sola gravi necessitate; quia sic petens jus habet sibi subveniendi, D. Th. Usurarius *realis* tenetur usuras restituere, ac resarcire damna ex usuris secuta. Sic etiam tenetur *men-*

talis , nisi sibi constet , mutuatarium dedisse ex sola gratitudine.

Q. 8. *Quae sint usurarii paenae ?*

R. Si sit notorius , sive jure , seu a Judice declaratus , sive facto , quod tegi nequit ; incurrit infamiam , adeoque irregularitatem , privationem ecclesiasticae sepulturae : si sit Clericus suspensionem quoque ab officio , et beneficio ; et si laicus excommunicationem: at suspensio , et excommunicatio sunt ferendae sententiae.

Q. 9. *An usuris cooperantes restituere tenentur ?*

R. Si cooperentur ad instantiam mutuatarii non tenentur , quia volenti non fit injuria. In favorem vero mutuatoris ; cooperantes proxime , ut Judices , Notarii , consiliarii , etc. excommunicantur ipso facto , ac restituere tenentur : remote vero cooperantes , ut scribentes , famuli , usuras accipientes , etc. excusantur.

De venditione , ac emptione.

Q. 1. *Quid sit venditio et emptio ; quid , et quotuplex pretium ?*

R. *Venditio* est pactum dandi rem pro pretio: *Emptio* , est pactum dandi pretium pro re : utraque unus est contractus. *Pretium* est pecunia exaequans rei valorem : nam si sit alia res , erit permutatio. Pretium vel est *legitimum* a lege statutum ; vel *vulgare* , a communi Judicio. Posterius triplex *infimum*, *medium*, *supremum*, ut 19, 20, 21. Valet quis emere infimo , ac statim vendere supremo , et vicissim.

Q. 2. *An liceat contractus hispanice mahatra ?*

R. Is est venditio rei , vulgo *a credenza* pretio supremo , cum pacto eamdem retrovendendi, *pe-*

cunia numerata, pretio infimo. Damnatus est ab Innoc. X., non ob pretium, sed ob pactum, quo adimitur libertas.

Q. 3. *An valeat venditio cum laesione ultra dimidium?*

R. Vel laesus advertit, et libere consentit; et valet, quia ei non fit injuria, cum possit etiam donare rem suam. Vel secus, et non valet; itaut potest repetere rem suam, pretio restituto.

Q. 4. *Quid sit retractus gentilitius; et an liceat?*

R. Est jus aliquam revocandi venditionem rei immobilis, pretio restituto. Hoc jus concessum est proximiori consanguineo venditoris, ut immobilia conserventur inter familias: hinc non licet, si fiat animo alteri vendendi, etsi post factum bono animo valeat.

Q. 5. *Quomodo crescant, vel decrescant pretia rerum?*

R. *Crescunt* 1. Ob copiam emptorum, et mercium penuriam. 2. Ob laborem in venditione, ut si minutatim. *Decrescunt*. 1. Ob penuriam Emptorum, et copiam mercium. 2. Ob facilitatem vendendi, ut si tota simul. 3. Si res vendatur voce preconis: vel non sit emptori necessaria, et ei exhibeatur; quia res ultroneae vilescunt.

Q. 6. *Quid sit monopolium, et an licitum?*

R. Est conspiratio plurium, ut ipsi soli vendant, vel emant tali pretio. Licet, si fiat auctoritate publica, et justa de causa: secus non licet; quia fraudantur cives jure vendendi, etc. vulgari pretio.

Q. 7. *Quae sint obligationes venditoris?*

R. Nequit. 1. Pretium augere, quia res necessaria sit emptori, vel grata; D. Th. 2. Nequit negare, modo sit requisitus, pretium minuendum, vel augendum. 3. Nequit carius vendere,

ob solam dilationem pretii. 4. Si pro alio vendat ultra pretium sibi designatum, nequit excessum retinere sine Domini consensu.

Q. 8. *Quae sint obligationes emptoris?*

R. Nequit cogere ad sibi vendendum, nisi res sit exposita. 2. Si pro alio emat infra pretium designatum sibi, nequit lucrum retinere sine Domini consensu. 3. Si statuatur pretium, et res determinetur, v. g. *haec ovis*; re pereunte sine culpa venditoris, emptor tenetur solvere. 4. Si statuto pretio, non determinetur res, v. g. *ovis una ex grege*; tunc si totus grex pereat, emptor damnum suum subire debet; secus si *pars* gregis pereat.

Q. 9. *Cui debeatur res pluribus successive vendita? et an liceat emere chirographum minus quam contineat?*

R. Ad 1. Si res nondum tradita fuerit, priori debetur emptori: secus, si jam alteri fuerit tradita: at si res vendita fuerit loco pio, vel civitati, semper huic debetur, licet alteri tradita; ex Juris privilegio. Ad 2. Si chirographum sit liquidum, ac facilis solutionis, non licet: secus si sit litigiosum, ac difficilis solutionis.

Q. 10. *Quid de merce vitiata dicendum?*

R. Si vitium pateat, ad nihil tenetur venditor. Si vero lateat; tunc si interrogatur, aperire tenetur, ne decipiat: secus si non interrogetur; modo pretio diminuto, nullum inferatur damnum, ut in vino aqua mixto, et viliori pretio vendito.

De monte pietatis, cambio, censu.

Q. 1. *Quid sit mons pietatis, et an licitus?*

R. Est cumulus pecuniae pauperibus subvenien-

dis destinatus, medio pignore, ac levi contributione. Licitus est: nam pignus datur pro conservatione montis, et contributio pro ministris, et ne mons pereat. Si pignus non redimitur statuto tempore, venditur, et detracto, quod monti debetur, redditur residuum Domino pignoris.

Q. 2. *Quid, et quotuplex sit cambium, et an licitum?*

R. Est permutatio pecuniae pro alia pecunia cum aliquo lucro. Duplex est; *Fictum*, in quo recipitur lucrum pro dilatione restituendi in alia pecunia; quod damnavit Pius V. *Reale*, ac licitum, in quo recipitur lucrum pro labore, juxta leges, ac morem locorum.

Q. 3. *Quid, et quotuplex sit census?*

R. *Census* est jus exigendi annuam pensionem ex aliena re, vel persona, vel utraque. Hinc triplex est: *realis*, idest jus fundatum in re frugifera, qua pereunte, perit. census: *personalis*, seu jus fundatum in persona utili, qua inutili reddita, vel mortua, perit census: *mixtus*, idest jus fundatum in utraque; itaut re pereunte, manet census in persona; et hac deficiente, manet in re, ac transit ad haeredes.

Q. 4. *Quotuplex sit quivis ex praefatis tribus censibus?*

R. Duplex est. 1. *Reservativus*, idest pensio, quam sibi reservat, qui alteri cedit rem suam, v. g. Dono tibi agrum reddens 100; ex his reservo mihi 50: hic aperte licitus est, quia reservans accipit de suo; adeoque de hoc censu non amplius erit sermo. 2. *Consignativus*, idest pensio, quam quis exigit ob consignatum pretium, vel aequivalens, itaut sit veluti emptio, et venditio. Qui pretium tradit, emptor, et *censualista*

vocatur; qui pensionem solvit, venditor, ac *censuarius*.

Q. 5. *Quotuplex sit census consignativus?*

R. Duplex est. *Perpetuus*, ac *irredimibilis*; cui nullum adjicitur tempus, vel pactum redimendi, seu dissolvendi censum. *Temporalis*, ac *redimibilis*, cui adjicitur: et hic, vel ex parte solius *censuarii*, ut hic restituto pretio, se liberet ab onere pensionis; vel etiam ex parte *censuistae*, ut is relicta pensione, valeat repetere pretium, seu capitale.

Q. 6. *An census perpetuus, ac irredimibilis sit licitus?*

R. Utique. Nam hic census est veluti emptio, et venditio, ut Do tibi 100; ut tu mihi tribuas 6 aut plus quotannis: quod idem est, ac dicere; Emo a te pensionem annuam 6 aureorum. Requiritur tamen, ut pensio sit juxta leges locorum, et usum timoratorum. Nec obstat, quod emptor post tot annos plus accipiat, quam dederat: nam id evenit etiam in agri emptione.

Q. 7. *An census utrimque redimibilis sit licitus?*

R. Constat, licitum esse ex parte *censuarii*, qui restituto capitali, valet se liberare ab onere pensionis. At num liceat etiam ex parte *censuistae*, itaut is post aliquot annos, juxta conventionem, repetere possit capitale, relicta pensione? Controvertitur.

Q. 8. *An census redimibilis ex parte censuistae, sit licitus?*

R. Mirum! Plerique negant; et apud fere omnes hic census in usu est. Hinc licitus videtur, saltem cum sic censuista, et censuarius paciscuntur. Nam 1. Qui donare valet rem suam; valet etiam huic censui subjicere. 2. Census redimibilis

permittitur censuario: ergo et censuistae; cum utriusque aequa debet esse conditio. 3. Hic census est in usu in Germania, Gallia, etc. etiam apud Clericos, et Religiosos possidentes. Ergo etc. 4. Ex cap. contractus in 6. Quivis contractus pendet a libera conventione. Ergo etiam iste. Ita Wigandt hic.

Q. 9. *Cur ergo Pius V. in Bulla cum onus hunc censum damnat?*

R. Ea Bulla non exponit jus divinum, sed statuit jus humanum: et ideo non est nec ubique recepta, nec in usu, et contraria ei adversatur consuetudo, Ecclesiae Pastoribus non reclamantibus.

Q. 10. *Si census hic non differt a mutuo; quo titulo pensio?*

R. Quinimo toto coelo differt. Nam in mutuo si sors perit, mutuario perit; in censu vero perit censuistae. Hinc pensio non recipitur vi mutui; sed 1. Vi emptionis, qua emitur non pensio, sed jus eam exigendi. 2. Titulo periculi amittendae sortis tempore census, donec ipsa restituatur.

Q. 11. *An census mere personalis sit licitus?*

R. Sic esse videtur. Nam si licitus est census *mixtus*, ex Bulla Nicolai V. *Solicitudo*; in quo, re pereunte, *personalis* evadit; licitus etiam est ab initio *personalis*. Deinde si census recte fundatur in re frugifera; sic etiam in persona utili. Denique qui potest rem suam donare, potest etiam sic obligare. Nec obstat vetans Bulla *Piana*, cui utpote humani juris adversatur consuetudo; *ut sup. q. 11.*

De contractibus societatis; locatione, et conductione; pignore, et hypotheca; et transactione.

Q. 1. *Quid, et quotuplex sit contractus societatis?*

R. Est conventio plurium aliquid contribuendi ad commune lucrum, et damnum pro rata contributionis. Triplex est; *Simplex*, idest sola societas; *Duplex*, seu societas, et assicuratio sortis: *Trinus*, idest societas, assecuratio sortis, et assecuratio lucri, ut infra.

Q. 2. *Quid sit simplex contractus societatis, et an licitus?*

R. *Est contributio sortis ob lucrum*; sive sors sit pecunia, sive res, sive opus; v. g. contribuis 100. et speras 20. Licitus est, si sors cujusque socii aequaliter periculo subjaceat; et si pereat, ab aliis sociis compensetur. Secus est illicitus.

Q. 3. *Quid sit duplex contractus societatis; et an licitus?*

R. Est simul societas, et assecuratio sortis; v. g. contribuis 100. et speras 20. ex his cedis socio 10, ut tibi sortem assecuret. Illicitus est inter socios, quia sine titulo recipitur aliquid ultra sortem certam. Licitus vero cum alio non socio; quia sic foret ut ludus aleae, cum utriusque periculo damni, vel lucri spe.

Q. 4. *Quid sit contractus trinus societatis, et an licitus?*

R. Est simul societas, assecuratio sortis, et assecuratio lucri minoris certi, pro cessione majoris incerti; v. g. contribuis 100: et speras 20, en simplex: ex his cedis 10, pro assecuratione sortis; en duplex: ex his cedis 5: pro assecuratione aliorum 5: en trinus. *Simplex* est licitus,

ut sup. *Q.* 2. Duplex est illicitus inter socios; et licitus cum alio non socio, ut sup. *Q.* 3. Tr'nus est licitus etiam cum socio; quia est ut aleae ludus de re extra societatem.

Q. 5. *Quid sit locatio? Quid conductio? quae requirantur?*

R. Locatio est concessio usus rei ad tempus, pacto pretio. Conductio est acceptatio locationis. Locator repetere nequit rem extra tempus, nisi vel ipsemet ea indigeat, vel locatarius abutatur ad pravum finem, aut biennio non solvat: item aliquid remittere, si res locata parum reddat, ejusque sumptus solvere. Conductor servare debet, ac non dimittere ante tempus.

Q. 6. *Quid sit pignus? Quid hypotheca? Quae requirantur?*

R. Pignus est concessio rei mobilis, et *hypotheca* rei immobilis ad debiti securitatem. *Creditor* debet rem servare, eaque non uti sine Domini consensu; nec vendere, nisi Domino statuto tempore non solvente; valet tamen rem alteri obligare pro suo debito. *Est commun.*

Q. 7. *Quid sit transactio? Quae ad eam requirantur?*

R. Est conventio utrique parti onerosa de re dubia, et litigiosa. Requiritur ergo, ut res utrimque sit dubia; ut lis sit movenda, vel mota; ut utraque pars in aliquo cedat juxta leges aequitatis, ac libere.

De fidejussione mandato , deposito , commodato , precario , promissione , donatione , ludo, sponsione.

Q. 8. *Quid sit fidejussio, quidve mandatum ?*

R. *Fidejussio* est susceptio alienae obligationis : hinc debitore deficiente fidejussor tenetur. Hic petere valet a publica auctoritate solutionem ab hoc onere , si debitor bona sua dilapidat , vel petit regiones longinquas. *Mandatum* est exhibitio exequendi alterius jussum ; itaut mandans teneatur ad sumptus , et damna mandatarii.

Q. 2. *Quid sit depositum ? Quid commodatum, quid precarium ?*

R. *Depositum* est commissio rei mobilis custodiendae; et depositarius, sicuti re uti valet, etiam ad negotium de licentia domini , sic eam , uti suam servare debet. *Commodatum* est gratuita concessio usus rei; hanc adeoque rei suae similis valoris praeferre debet ; quia ita in sui commodum est , ut si atteratur ad nihil tenetur. *Precarium* est gratuita rei concessio ad nutum revocabilis : precarius tenetur , ut commodatarius.

Q. 3. *Quid sit promissio , et an obliget ?*

R. Est exhibitio dandi rem licitam. Si fiat sub conditione illicita , ut promitto si mentiaris , non ante , sed post mendacium obligat: Requiritur ut fuerit acceptata; et sic putatur, si cui fit, taceat. Cessat obligare , si vel promissor egeat , vel promissarius *renuntiet*; vel cesset finis, ut promissarii miseria.

Q. 4, *Quid sit donatio ? quae conditiones ejus, an revocari possit ?*

R. Est gratuita rei concessio. Duples est ; *in-*

ter vivos, si fiat, donatore vivente; *mortis causa*, si fieri debeat, mortuo donatore. Requiritur, ut donator donare valeat, et donatarius acceptet saltem tacendo. Nondum impleta revocari valet, ob prolem postea susceptam, et ob ingratitudinem gravem donatarii, necnon ob laesionem legitimae Filiorum.

Q. 5. *Quid sit ludus? Quidve sponsio?*

R. Ludus est conventio inter plures, ut victori cedat quod depositum est. *Sponsio* est conventio, ut divinanti rem incertam aliquid cedat. Licita sunt, si non sint vetita, nec occasio peccati; et ludens, ac sponsor valeant de re disponere.

Q. 6. *Qui ludus sit vetitus? Qui mortalis? Qui lucrum non faciat?*

R. Vetitus est, qui non ab arte, sed a sorte pendet. Mortalis est, si scandalo sit, vel gravi damno aliis. Lucrum non facit; qui gravi metu victum induxerit, vel fraude contra ludi leges usus fuerit, vel victus de re disponere non poterat?

De testamento, codicillo, legato, fideicommisso.

Q. 1. *Quid, et quotuplex sit testamentum?*

R. Est testatio mentis; idest dispositio de eo, quod quis vult fieri post suam mortem, cum haeredis institutione. 1. Duplex est; *solemne*, quod fit cum statuto numero testium: *privilegiatum*, quod fit coram Principe, vel a milite, vel ad pias causas. 2. *Solemne*, vel est *clausum*, quod scribitur, ac firmatur a testatore, ac testibus: vel est *nuncupativum*, quod fit voce tantum coram testibus.

Q. 2. *Quae sint conditiones testamenti solemnis clausi?*

R. Sunt. 1. Ut testes sint 7. masculi, puberes, vocati, non coacti, presentes testatori. 2. Ut non sint a jure impediti, ut sunt muti, caeci, amentes, acquirentes ex testamento, et qui sunt sub potestate testatoris. 3. Ut testator per se subscribat, vel per octavum testem. At locorum leges servandae: nam ad pias causas sufficit sola probatio, etc. ete.

Q. 3. *Qui sint capaces, quive incapaces faciendi testamenti?*

R. Capaces sunt, qni disponerè valent de suis rebus. Incapaces, qui a Jûre sunt impediti, idest, 1. Mancipia, nisi ad pias causas. 2. Impuberes, amentes, muti etc. 3. Clerici, nisi de patrimonio, et parsimonialibus.

Q. 4. *An testamentum revocari vel commutari valeat?*

R. Si est *nullum*, a Judice nullitas est definienda. Si *validum* ab ipso testatore revocari, vel commutari valet, quia est ultima voluntas. Si testator mortuus sit, et ejus voluntas impleri nequeat; ante Trid. a Papa, post Trid. etiam ab Episcopo resolutio pendet; *Trid. sess.* 22.

Q. 5. *Quid, et quotuplex sit haeres?*

R. Multiplex. Nam 1. *Haeres* est, qui succedit in bonis alterius. 2. Vel est ab *intestato*, qui succedit sine testamento, ut proximiores in eadem linea, et gradu. Vel ex *testamento*, ut qui in eo instituuntur. 3. Vel est *universalis*, qui in tota haereditate succedit, vel *partialis*, qui in parte. 4. Vel est *necessarius*, cui negari nequit saltem *legitima*, ut infra, uti sunt descendentes in linea recta; et his deficientibus ascendentes. Vel non *necessarius*, ut alii ad libitum.

Q. 6. *Quid sit legitima?*

R. *Est media* pars haereditatis aequaliter dividenda, si sint plusquam quatuor; vel *tertia pars*, si sint quatuor, vel pauciores. De reliquo pater ad libitum disponere valet. *Ex Jur. Canon.*

Q. 7. *Quid sit quarta Trebelliana?*

R. Est quarta pars, quam haeres, fideicommisso gravatus, deducere valet ex haereditate alteri tradenda. Sic statuit Trebellianus J. C.

Q. 8. *Quid sit quarta Falcidia?*

R. Est quarta pars, quam haeres legatis non piis gravatus, ex eis detrahere valet. Sic statuit Cajus falcidius. At locorum leges servandae.

Q. 9. *Quid sit codicillum? Quid legatum? Quid donatio mortis causa?*

R. *Codicillum* est aliqua detractio, vel additio in testamento. *Legatum* est statutum, quo jubetur haeres aliquid alteri dare. *Donatio mortis causa* est gratuita concessio alicujus rei, exequenda post mortem testatoris.

Q. 10. *Quid sit fideicommissum?*

R. Est onus fidelitati haeredis commissum relinquendi totam; vel partem haereditatis alicui successori a testatore determinato. Ideoque nequit haeres fundum haereditatis alienare; et qui hanc expectat, jure dicit; haereditas mea, seu bona mea sunt sub fideicommisso.

Q. 11. *An aliquando haeres neccssarius exhaeredari possit?*

R. Affirm. ut ajunt Juristae, duas ob causas. 1. Ob gravem injuriam, vel inhumanitatem in parentes. 2. Ob delictum haeresis, scandali publici, etc., ex quo familiae infamia oritur.

SPECULI THEOLOGIÆ CORDIS.

PARS IV.

DE DECALOGO.

Decalogus dicitur a *decem*, et *logos*, id est decem sermones. Ex D. Thom. Est *lex divina naturalis in decem praecepta distributa*. Deus hinc est ejus auctor, qui eam et per se humano cordi sculpsit; et per Mosem duabus in tabulis deinde scripsit. Non solis Judaeis; sed omnibus data fuit: nam cuidam interroganti, *quid faciendum*, *vitam aeternam possidebo*? respondit Christus; *si vis ad vitam ingredi*, *serva mandata*. Haec per subjecta capita exponentur.

CAP. I.

DE PRIMO DECALOGI PRECEPTO.

Primum Decalogi praeceptum est: *Ego sum Dominus Deus tuus*: *non habebis Deos alienos coram me*. Hinc mandat Dei cultum, qui dicitur *Religio*; et vetat cultum Deorum, qui *Superstitio* vocatur. Duo erunt propterea hujusce capitis articuli. 1. De Religione. 2. De superstitione.

ART. I.

Q. 1. *Quid sit Religio, et qui ejus actus?*

R. Est virtus moralis debitum Deo cultum exhibens. Ejus actus sunt quaecumque Deo placere possunt, ut *devotio*, *oratio*, *adoratio*, *adjuratio*, *oblatio*, *sacrificium*, *votum*, *et juramentum*.

Q. 2. *Quid sit devotio, quidve oratio?*

R. *Devotio* est vera voluntas Deo placendi: hinc esse valet in actibus omnibus internis, et externis, etiam indifferentibus, modo quis per eos Deo placere velit. *Oratio* est petitio decentium a Deo, sive mentalis sit, sive vocalis; et duplex est: *publica*, si sit ab Ecclesia statuta; *privata*, si a Fideli quovis.

Q. 3. *Quid, et quotuplex sit adoratio?*

R. Est testificatio alienae excellentiae. Duplex est; *civilis* si homini fiat: *Religiosa* si Deo, et sanctis. Haec posterior vel est *Latriae*, si Deo fiat, et Christo; vel *duliae* si Sanctis, vel *hyperduliae*, seu supremae duliae, si B. Virgini. Item si personae ipsi fiat *absoluta* vocatur; si ejus imagini, *relativa*.

Q. 4. *Quid sit adjuratio, et quibus fieri possit?*

R. Est obsecratio per res sacras, et honestas ad aliquid obtinendum. Sic Pilatus Christo: *Adjuro te per Deum vivum.* Licita est, si fiat honesto modo. Fieri valet daemoniis, ut e corporibus exeant; tempestatibus ut evanescant; Deo ut propitietur.

Q. 5. *Quid sit oblatio, quidve sacrificium?*

R. Oblatio est praesentatio rei sensibilis, ut *pecuniae*, *calicis*, etc. Sacrificium est oblatio rei sensibilis cum aliqua ejus immutatione. Hinc in veteribus sacrificiis, res vivens interficiebatur, so-

lida comburebatur, liquida effundebatur: et in Altari, Christus ut agnus occisus exhibetur, mystica separatione sanguinis a corpore. Soli Deo valet offerri, quia est latriae cultus.

De voto.

Q. 1. *Quid sit votum?*

R. Est *promissio Deo facta de meliori bono possibili.* Ut *promissio* includit voluntatem se alteri obligandi. Ut *Deo facta* indicat latriae cultum Deo debitum: nam votum Sanctis, etiam Deo fit sanctos efficienti, et glorificanti. De *meliori bono*, idest ut res voti sit melior suo contrario, v. g. virginitas respectu conjugii. *Possibili*, quia vovens impossibile, idem est ac non vovere.

Q. 2. *In quo differt votum a proposito?*

R. In eo differt, quod votum includit obligationem: non sic vero propositum. Nam qui solum proponit dare aliquid gratuitum, si non dat, non peccat, quia non se obligat. Peccat vero, qui promittit, quia se obligat, et in re praecepta, et voto promissa dupliciter peccat.

Q. 3. *Quotuplex sit votum?*

R. Multiplex. Num. 1. Vel est *reale*, si sit de re danda, ut oblatio. Vel *personale*, si sit de re facienda, ut jejunium. Vel *mixtum*, si sit de re utraque, ut peregrinari, ac offerre. 2. Vel est *conditionatum*, si ab aliqua conditione pendet, ut si *convaluero*; et obligat, impleta conditione, et culpabiliter impedita. Vel *absolutum*, si a nulla conditione pendet. 3. Vel est *solemne*, si Ecclesiae nomine fiat, ut vota Religionis, et sacri Ordinis. Vel simplex, si secus fiat.

Q. 4. *An votum per alium impleri possit?*

R. Affirm. si sit *reale*, vel partim *reale*, ut in mixto, quia res danda est separabilis a persona, ut eleemosina: hinc etiam ad haeredes transit. Negative vero, si sit *personale*, quia res facienda est inseparabilis a persona, ut jejunare, missam audire etc.

Q. 5. *Quid sit voti materia, seu objectum?*

R. Est opus tum consilii, seu gratuitum; tum praecepti, seu debitum; *D. Th. hic*: et in opere praecepto duplex est obligatio, duplex peccatum violatio, ut sup. *q.* 2. Hinc res indifferens, ut laborare; vel mala, ut mentiri; vel contraria consiliis, ut nubere, non sunt voti materia.

Q. 6. *An valeat votum de re bona ob finem malum, et vicissim?*

R. Negative. Non prius ut jejunium ob exitum furti, quia Deus reprobat medium ad peccandum. Non posterius, ut mentiri pro bono proximi; quia ex Apost. *Non sunt facienda mala, et eveniant bona.*

Q. 7. *An valeat votum de re indifferenti, vel contra consilium ob finem bonum?*

R. Affirm. Nam tunc si non res ipsa, finis est majus bonum: Hinc valet votum laborandi ob eleemosinam; et nubendi ob finiendum bellum, et commune bonum. *Est communis.*

Q. 8. *An valeat votum vitandi peccata?*

R. Valet quoad peccata mortalia, et specialia quaedam venialia: nam id possumus Dei gratia. Secus vero quoad omnia venialia; quia ex *Trid.* Id privilegium fuit solius B. Virginis.

Q. 9. *An qui nequit totum implere votum, teneatur ad partem?*

R. Si materia voti sit divisibilis, tenetur; ut qui vovit dare 10. et nequit, nisi 5. Secus vero,

si sit indivisibilis, ut qui vovit dare calicem, quia divisi nequit. Est *communis.*

Q. 10. *An dubitans de voto, ad illud teneatur?*

R. Si dubitet, an satisfecerit, tenetur, quia votum emissum est in possessione. Si vero dubitet, an emiserit? tunc si dubium sit positivum, tenetur ex illo juris; In *dubiis tutior pars eligenda*: si vero dubium sit negativum, probabilius non tenetur; quia nemo solvit debitum, quod nullimode constat.

Q. 11. *An votum metu emissum sit validum, et obliget?*

R. Si metus fuerit levis, vel gravis, sed justus, est validum, et obligat. Si vero sit gravis, injustus, et ad extorquendum consensum; tunc jure Canonico irrita sunt vota solemnia: de caeteris non constat, et tutius est petere dispensationem, ait Concina hic.

Q. 12. *An valeat votum ex errore, vel dolo emissum?*

R. Si agitur de voti natura, ut si vovens putabat votum non obligare; non valet, quia deest consensus. Si vero de materia voti agitur; tunc si haec sit gravis, non valet; ut qui putabat rem voti valere 10; et reperit valere 20; quia si scivisset, non vovisset: Si vero materia sit levis, valet: quia parum pro nihilo habetur. *Comm.*

Q. 13. *An vovens valeat se obligare sub gravi in re levi; et vicissim.*

R. Negative. Non prius: nam vovens est suipsius legislator: hic autem nequit sic obligare. Non posterius: nam licet valeat non vovere, posito tamen voto, tenetur juxta rem voti: at id controvertitur.

Q. 14. *An, et quomodo valeat votum conditionatum?*

R. Si conditio sit impossibilis, ut si *Sol cras non orietur, voveo*, non valet votum; quia sic vovens ostendit, se nolle vovere. Si conditio sit de futuro contingenti, ut *si cras pluerit*; vel de futuro libero, si *pater* meus voluerit, valet votum, impleta conditione. Si conditio sit de presenti, ut si *sol lucet*; vel de praeterito, ut si *haeri luxit*; vel de futuro necessario, ut *si cras lucebit*; votum valet, est absolutum, et obligat.

Q. 15. *An, et quando votum obliget?*

R. 1. Vere obligat juxta sui materiam: nam Eccl. 5. *Si vovisti, ne moreris reddere*. 2. Si tempus praefigitur, tunc obligat: secus quamprimum. 3. Si votum sit temporaneum, ut bis jejunare, dilatio non est mortalis, quia nihil Deo subtrahitur: secus si sit perpetuum, ut orare quotidie ob contrariam rationem. 4. Si votum sit ingrediendi Religionem, differri valet ad sex menses, vel ad quamprimum commode, Concina hic.

Q. 16. *Quid sit voti subjectum, et quid si voveat animo non se obligandi?*

R. *Voti subjectum* est quisque rationis capax, licet impubes: nam sicuti malum, sic et bonum facere valet. Qui autem serio vovet animo non se obligandi, et non implendi, graviter peccat: quia Deo mentitur et voto tenetur; quia serius animus includit voti onus. *Ita Conc.*

Q. 17. *Quid sit cessatio voti; et quotupliciter cessare valeat?*

R. *Cessatio voti* est abolitio illius obligationis. Quintupliciter vero cessare valet; 1. mutatione materiae. 2. Irritatione. 3. Dispensatione. 4. Commutatione. 5. Interpretatione; prout haec a probatis auctoribus exponuntur.

Q. 18. *Quomodo cesset votum mutatione materiae?*

R. Sic cessat, cum materia voti, alioquin licita, ob aliquam circumstantiam illicita evadit, vel indifferens, vel impossibilis, vel impeditiva melioris boni. Sic e. g. cessat votum peregrinandi, gravi occurrente necessitate, vel onere filios educandi, ac alendi.

Q. 19. *Quomodo cessat votum ejus irritatione?*

R. *Irritatio* voti est ejus rescissio. Duplex est: *directa*, quae fit ab eo, qui jus habet in voluntatem voventis, sicuti habet pater in filios impuberes, tutor in pupillos, superior in subditos; quae irritatio non reviviscit, subjectione sublata: *indirecta*, quae fit ab eo, qui jus habet in bona, et actiones voventis, uti habet pater in filios puberes, maritus in uxorem etc. et haec irritatio reviviscit; subjectione sublata, quia non extinguit, sed suspendit voti executionem: requiritur vero, ut votum obsit regimini familiae, usui matrimonii etc.

Q. 20. *Quomodo cesset votum ejus dispensatione?*

R. *Dispensatio* est voti relaxatio. Dispensare valent, qui jurisdictionem habent ordinariam, Parochis exceptis. Dispensandi facultas delegari valet, at num a Papa delegetur Confessariis regularibus? Dubia res putatur. Extenditur haec facultas ad vota simplicia, non reservata Papae.

Q. 21. *Quomodo cesset votum ejus commutatione, ac interpretatione?*

R. *Commutatio* voti est mutatio ejus materiae in aliam: Fieri valet ab ipso vovente in melius: ab his, qui dispensare valent: et a Confessariis Regularibus in moraliter aequale. *Interpretatio* est prudens judicium de voti obligatione, et ad id satis est vir doctus.

Q. 22. *Quae sint vota simplicia Papae reservata?*

R. Sunt quinque. 1. Ingrediendi Religionem. 2. Castitatis perpetuae. 3. Triplicis peregrinationis, idest ad limina Apostolorum Romae; ad S. Jacobum Compostellae; ad loca sancta Jerusalem. At requiritur, ut nullimode dubia sint, ex parte materiae, consensus, etc.

Q. 23. *An Papa dispensare valeat in votis solemnibus?*

R. Ex D. Th. in 4. Sent. valet; licet postea se retractaverit. Nam 1. Pluries dispensavit, praesertim cum Casimiro Poloniae Rege, qui monachus diaconus fuerat. 2. Votum solemne est, quod Ecclesia ut tale recipit, et approbat. Cujus autem est approbare, illius est relaxare. 3. Coram Deo tum simplex, tum solemne obligat. Ergo sicut in simplici, sic et in solemne dispensare valet. 4. In casu Papa non *dispensat* in jure naturae, seu in fidelitatis promissione Deo facta: sed potestate a Christo accepta declarat, jus illud in quibusdam circumstantiis non obligare, et sic a Deo statutum fuisse, ut tunc non obligaret. Plura apud Wigandt.

De Juramento.

Q. 1. *Quid, et quotuplex sit juramentum?*

R. Est invocatio Dei in testem; ex illo Apost. *Testis est mihi Deus*; et invocatur explicite; ut *juro per Deum*, et implicite, ut *juro per animam*, quae imago Dei est; vel per coelum, quod est Dei sedes, etc. Duplex est: *assertorium*, quo aliquid asseritur; et *promissorium*, quo aliquid promittitur. Caetera juramenta, ut *imprecatorium*, *comminatorium*, etc. modum jurandi indicant.

Q. 2. *An jurare liceat, et quae sint juramenti conditiones?*

R. Licet, et est actus Religionis, ex Deuter. 6. *Per nomen illius jurabis.* Conditiones sunt *veritas, judicium, justitia*; Jer. 4. *Jurabis in veritate, judicio, et justitia*: quibus opponitur falsum, incautum, iniquum.

Q. 3. *Quomodo quis peccet contra juramenti conditiones?*

R. *Contra veritatem* graviter peccat etiam in re levi, qui jurat falsum, dubium, et impossibile; quia Deum invocat in testem mendacii. *Contra judicium* peccat graviter, qui jurat ex consuetudine, ob periculum jurandi falsum; et leviter, qui sine necessitate. *Contra justitiam* peccat graviter, qui grave peccatum facere jurat, et leviter, qui leve; *est communis.*

Q. 4. *An juramentum promissorium semper obliget?*

R. *Semper*, si sit de re licita, et possibili; et quidem sub gravi, aut levi, uti est res. Nunquam vero, si res sit illicita, impossibilis, indifferens, contra consilia, vel sit errore, ac dolo jurata. Hinc jurans facere aliquid quodammodo pravum, non tenetur; quia juramentum non est vinculum iniquitatis; et jurans dare, quod putat valere 10; non tenetur, si postea sciat valere 20; quia defuit juramento consensus.

Q. 5. *An juramentum promissorium ex metu gravi obliget?*

R. Affirm. si promissa res sit licita: secus vero si illicita. Hinc jurans dare pecuniam latroni, vel redire ad carcerem injustum, tenetur: at petere valet sibi solvi juramentum. Jurans vero non denunciare latronem, vel redire ad carcerem, ex quo exiret ad patibulum, non tenetur; quia prius communi bono adversatur; posterius est causa suicidii,

Q. 6. *An juramentum fictum, et dolosum sit licitum, et obligatorium?*

R. Fictum, et dolosum est, quod fit sine animo jurandi, et implendi. Graviter illicitum est etiam in re levi: nam sic juratur falsum, et contrarium damnavit Innoc. XI. Est autem obligatorium, uti est res, sub gravi, vel levi, si sit promissorium: secus graviter, vel leviter deciperetur proximus.

Q. 7. *An juramentum cum restrictione mentali liceat, et obliget?*

R. Restrictio mentalis est sensus mentis diversus a sensu verborum; et sic jurans aliud dicit, et aliud intendit. Si restrictio mentalis excuset a mendacio, licet etiam sic jurare in casu necessitatis: secus vero si non excusat. *Vid. cap.* 4. *q.* 4. *infra.*

Q. 8. *An liceat exigere juramentum a pejeraturo?*

R. Licet Judici ad instantiam partis ob ordinem justitiae: secus privato; quia praeberet occasionem pejerandi. At licet privato petere juramentum ab Infideli per falsos Deos, ob grave damnum vitandum; *Aug. et Th.*

Q. 9. *An consuetudo jurandi sit per se speciale peccatum?*

R. Affm. si sic jurans non doleat, nec conetur illam evellere: nam est peccatum habituale; et omnia juramenta perjuria sunt, ob periculum semper pejerandi. *Negative* vero si doleat, et conetur; quia dolore deletur peccatum consuetudinis. *Vid. P.* 1. *C.* 1. *art. Q.* 9.

Q. 10. *An, et quomodo cessare valeat juramentum?*

R. Cessare valet; ut votum, *sup. art.* 1. *Q.* 17. *et seq.* Insuper utrumque cessat condonatione il-

lius, pro quo fit. Item in utroque subintelligitur; *Si potero, si res non mutetur; si acceptas; nisi remiseris; Salvo jure Superioris.* Quod possunt Regulares in votis. *Ibid.* possunt et in juramentis. In cessatione sensus est, quod aliquando nolit Deus sibi promissum.

ART. 2.

De superstitione.

Q. 1. *Quid sit superstitio?*

R. Est *cultus inordinatus*, idest vel falsus vero Deo, vel verus falso deo exhibitus. Prior duplex est; *erroneus*, ut si colatur Deus more gentilium; *superfluus*, ut si colatur ultra modum ab Ecclesia statutum; v. g. tot vicibus, et tali hora, et non aliter; hic, secluso scandalo, venialis esse valet. Posterior quadruplex est; *idolatria*, *divinatio*, *magia*, *vana observantia.*

Q. *Quid, et quotuplex sit idolatria?*

R. Est cultus divinus creaturae exhibitus; ut si daemoni, soli, etc. offeratur incensum. Duplex est: *materialis*, si sit sine mentis errore; *formalis*, si credatur creatura cultu divino digna. Utraque scelus est.

Q. 3. *Quid, et quotuplex sit divinatio?*

R. Est inquisitio rei occultae ope daemonis; quatenus invocetur, vel *expresse* voce, ac signis; vel *tacite*, adhibendo media inepta. Multiplex est; nam si daemon respondeat per apparitiones, vocatur *praestigium*; si per vivos *pythonia*, per mortuos *negromantia*: per ignem *pyromantia*: per aquam *hydromantia*: per manuum lineamenta, *chyromantia*: per sortes, *sortilegium*: per astra, *astrologia.*

Q. 4. *Quid, et quotuplex sit sortilegium?*

R. Est divinatio per sortes; ut si ex numero pari, vel dispari casu extracto aliquid innotescat. Triplex est: *Divisorium*, quo decernitur quid cui debeatur; licitum est, praeterquam in electionibus, et beneficiis. *Consultorium* quo resolvitur, quid agendum; licitum est, si a Deo expectetur, illicitum si a Daemone. *Divinatorium*, quo futura, et occulta inquiruntur; a quo quis excusatur ut infra *Q.* 6.

Q. 5. *Quid, et quotuplex sit astrologia?*

R. Est divinatio per astra. Duplex est *naturalis*, qua ex motu, ac situ astrorum divinantur pluviae, serenitates, etc. et haec licita est: *judiciaria*, qua divinantur futura libera; et vetita est omni jure; dicitur *judiciaria*; quia fert judicium de rebus soli Deo notis.

Q. 6. *An quaevis divinatio sit mortalis?*

R. Affirm. si sit cum *expressa* daemonis invocatione, vel credatur loqui daemon. Si vero sit cum *tacita*, idest adhibendo media inepta, excusare valet ignorantia, curiositas, vanus timor, sed sine credulitate. Hinc qui ob somnium, noctuae cantum, etc. aliquid faciunt, vel omittunt, vel cingaros consulunt sine credulitate integra, a mortali excusantur. At credere somniis, quae ad bonum excitant, et a Deo putantur oriri, licitum est.

Q. 7. *Quid, et quotuplex sit magia?*

R. Est ars mira patrandi. Duplex est *naturalis*, quae oritur a sagacitate, ac manuum dexteritate; quae licita est: *superstitiosa*, quae oritur a Daemone expresse, vel tacite invocato; et illicita est. Ad hanc pertinet maleficium, *ut infra.*

Q. 8. *Quid, et quotuplex sit maleficium?*

R. Est ars nocendi ope daemonis. Duplex est:

veneficium, idest ars inferendi mala physica: *philtrum*, seu ars inferendi mala moralia, ut odium, et amorem carnalem. Licite tollitur maleficium exorcismis, ac deletione signorum: illicite autem alio maleficio. Non est opus repetere schedulam proprio sanguine scriptam, ac daemoni datam; quia ea dolore delctur.

Q. 9. *Quid, et quotuplex sit vana observantia?*

R. Est inquisitio rei alicujus per media vana. Quadruplex est. Ars *notoria* si scientia inquiratur. *Incantatio*, si persona, vestes, arma laedere cohibeantur. *Observantia sanitatum*, si sanitas inquiratur vanis mediis. *Observantia eventuum*, si prosperum, vel adversum ex casu fortuito arguatur, ut ex occursu vetulae etc. Cum credulitate illicita est; *ut sup. q.* 6. At si signa sint sacra, ut preces, etc., et scientia, sanitas, etc: expectentur a Deo umiliter; id licitum est.

Q. 10. *Quid dicendum de sagis, ac strigis, quae lamiae vocantur?*

R. Sunt perditae quaedam mulieres, quae nocturna conventicula cum daemoniis agunt. Eas existere certum est: secus nullae forent latae in ipsas poenae, ac reservatio casuum. Aliquando realiter, et aliquando phantastice asportari dicuntur. Plura etiam quae de eis narrantur, fabulae sunt. Earum idolatria plerumque jungitur haeresi.

CAP. II.

DE II. III. IV. DECALOGI PRAECEPTIS.

Capiti huic, tres in articulos diviso, tria tribuuntur praecepta: nunc perpauca de singulis enucleanda objiciuntur.

ART. I.

De II. Decalogi precepto.

Q. 1. *Quod sit secundum Decalogi praeceptum?*

R. Hoc est: *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.* Nedum dominicum nomen, sed et res dominicae in vanum assumi prohibentur, ac indigne tractari. Hinc ad praeceptum istud pertinent praesertim blasphemia, sacrilegium, tentatio Dei, simonia.

Q. 2. *Quid, et quotuplex sit blasphemia.*

R. Est contumeliosa in Deum locutio; quatenus vel Deo tribuit, quod non decet; vel detrahit, quod decet; vel malum appetit. Sub Dei nomine veniunt creaturae, tum rationales, in quibus est imago Dei, tum irrationales, si ut creaturae Dei blasphementur. Duplex est blasphemia; *simplex*, idest sine mentis errore; ut *Deus est injustus*, quin id credatur; *haereticalis*, idest cum aliquo mentis errore. Fieri valet blasphesia ore, mente, signo.

Q. 3. *An ira proferre tantum Dei nomen sit blasphemia?*

R. Ira dicere: O *Christe!* O *sancte Deus!* o *virgo Maria!* Vel *per Christum*; *per sanctum Petrum*; etc. vel vulgo; *potte di Christo*; *potte dell'anima*; etc. Vel: o *Deus cur me persequeris?* Qui sic ira loquitur, non videtur proprie blasphemare; quia non vere maledicit. At si sit adeo gravis ira, ut extinguat amorem in Deum, est mortalis: secus venialis.

Q. 4. *Quid, et quotuplex sit sacrilegium?*

R. *Sacrilegium* est *sacri laesio*: et triplex est

reale, *personale*, *locale*, idest laesio rei sacrae, personae sacrae, loci sacri. Laeditur res sacra, cum indigne tractantur sacramenta, vestes sacrae etc. Laeditur persona sacra, cum percutitur, polluitur, etc. Laeditur locus sacer, effractione, sepultura infidelis etc. Item rea sanguinis, vel seminis effusione etiam occulta.

Q. 5. *Quid, et quotuplex sit tentatio Dei, et quale peccatum?*

R. Est experimentum dominicae perfectionis, ut temere periculum aggredi, causa inspiciendi an Deus praeservare velit. Duplex est: *Expressa*, si sit animo explorandi Dei attributum: *tacita*, si sit fiducia obtinendi Dei auxilium: utraque mortalis est: imo haeresi mixta, si sit cum dubio de Dei attributo; At necessitate urgente, aggredi periculum cum spe auxilii Dei, licet.

Q. 6. *Quid, et quotuplex sit simonia?*

R. *Est studiosa voluntas emendi, vel vendendi spirituale, vel ei adnexum pretio temporali.* Dicitur *studiosa voluntas*, idest cum advertentia, et deliberatione: quadruplex est: *mentalis*, si sistat in sola mente: *conventionalis*, si sit in solo pacto non impleto: *confidentialis* si sit in spe significata procurandi beneficium, et alteri tradendi: *realis*, si sit in pacto impleto, saltem ab una parte, quatenus vel res sit tradita, et non pretium; vel vicissim.

Q. 7. *Quid, et quotuplex sit pretium simoniacum, et quae culpa Simoniae?*

R. Pretium est quodvis temporale munus. Triplex est munus; a *manu*, idest pecunia, vel aliud: a *lingua*, idest laus, adulatio etc. et *ab obsequio*, seu famulatus. Quaevis simonia mortalis est; nec in ea datur materiae parvitas, quia nulla propor-

tio est inter spirituale, et temporale: hinc D. Petrus Simoni mago ait; *pecunia tua tecum sit in perditionem.*

Q. 8. *Quid, et quotuplex sit materia Simoniae?*

R. Est omne spirituale, vel spirituali adnexum. Duplex est; *Juris divini*, si res sit per se sacra, ut Animarum cura, Sacramenta, etc. *Juris Ecclesiastici*; si res sit ab Ecclesia uti sacra declarata, ut beneficium, ejus permutatio, etc. In priori nequit Papa dispensare: secus in posteriori.

Q. 9. *Ad quid teneatur Simoniacus?*

R. *Mentalis*, *conventionalis*, *confidentialis*, ad nihil tenetur, quia nihil dedit, et nihil accepit. *Realis* vero etiam ex una parte, tenetur restituere pretium, vel rem acceptam, si restitui possit: nam munus a lingua, et ab obsequio, vel ordinatio, absolutio, professio nequeunt restitui. At si res sit beneficium, resignare debet collatori cum fructibus extantibus, et consumptis si beneficium accepit mala fide: si vero bona fide resignabit cum fructibus extantibus tantum, cum venerit in malam fidem.

Q. 10. *An Simoniacus semper incurrat poenas a Jure statutas?*

R. 1. *Mentalis*, *conventionalis*, *confidentialis*, qui nondum accepit, vel dedit, non incurrit poenas juris: nec *semirealis* ipso facto incurrit, quia leges poenales intelliguntur *opere completo*, ait Wigandt. 2. Simoniacus *realis* completus, et in solo casu Ordinis, Religionis, beneficii, incurrit, ut *in seq.*

Q. 11. *Quas poenas incurrit simoniacus in casu Ordinis?*

R. Ordinatus, et ordinans, etiam inclusa prima tonsura, incurrunt excommunicationem papa-

lem ipso facto. Item posterior manet suspensus a collatione ordinum triennio; et prior ab exercitio omnium ordinum.

Q. 12. *Quas poenas incurrat simoniacus in casu Religionis?*

R. Ingrediens, recipiens, profitens, cooperans excommunicationem papalem ipso facto: si communitas consenserit, suspensionem papalem ab officiis capitularibus: scienter sic professus, in arctius monasterium detrudendus.

Q. 13. *Quas poenas incurrat simoniacus in casu beneficii?*

R. Praeter excommunicationem papalem, quam incurrunt etiam cooperantes; insuper recipiens fit inhabilis ad idem beneficium, quod irritum fuit; ac Papae reservatum mansit; conferens vero, si simonia fuerit confidentialis, interdictus manet ab ingressu Ecclesiae.

Nota. Plures alii de simonia casus, ut sequitur, resolvantur.

I. Licet vendere vasa sacra, reliquiaria, etc., modo nil recipiatur ratione consecrationis, benedictionis, reliquiarum, etc.

II. Nedum ut compensatio, sed nec ut motivum dari valet temporale pro spirituale; ex Inn. XI. Secus ut gratitudo, sed post factum.

III. Licet recipere temporale pro Missa, concione, etc. non ut pretium, sed stipendium, licet quis non indigeat: nam ex Apost: *Nemo militat suis stipendiis.*

IV. Post acquisitum jus ad beneficium, licet redimere pretio injustam vexam; secus vero ante acquisitionem, vel si justa sit vexatio.

V. Munus a lingua, et ab obsequio simoniacum est, cum finis primarius sit res spiritualis; secus si sit patefacere capacitatem, ac merita.

VI. Simoniacum est dicere; *Eligo te in Provincialem, ut eligas me lectorem*: nam lectoratus est quid temporale; quia pretio exercetur. Secus vero dicere; *Eligo te in Rectorem, ut aligas me Guardianum; nam utrumque est spirituale.*

VII. Papa valet esse simoniacus juris divini; non ecclesiastici, quo superior est. Qui emit a Papa rem etiam per se sacram, non incurrit poenas, quia hae cum sint juris ecclesiastici, Papa consentiens tacite dispensat.

ART. 2.

De III. Decalogi praecepto.

Q. 1. *Quod sit tertium Decalogi praeceptum?*

R. Hoc est: *Memento ut diem sabbati sanctifices.* In nova lege sabbato Dominica successit. Haec dies *festum* vocatur, idest speciale tempus Dei colendi. In veteri faedere Deus fuit festorum Auctor: at in novo Christus nonnisi fidem; et sacramenta instituit. De festis Ecclesiae potestatem tribuit: ita communiter cum D. Th. Hinc in antiquis festis, solus Deus dispensare poterat, in novis vero Ecclesia.

Q. 2. *Quotuplex sit festorum genus?*

R. Duplex. *Communia* toti Ecclesiae, ut Pascha, Natalis, etc. *specialia* respectivis locis. Urbanus 8. statuit de uno tantum loci Patrono festum agi. Ex usu a media ad mediam perdurat noctem. Sub gravi obligat; et contrarium damnavit Innoc. XI.

Q. 3. *Quomodo sanctificentur festa?*

R. Abstinendo ab operibus servilibus, et vacando piis operibus. Servilia opera sunt, quae a mercenariis fiunt, ut arare, consuere, retia trahe-

re, etc., quae ab aliis fiunt, ut scribere, hamo piscari, etc. servilia non sunt; D. Th. Pia opera sunt audire missam, concionem, etc. at Missa est in praecepto, et alia sunt consilii: nam si aliud sub gravi voluisset Ecclesia, expressisset.

Q. 4. *Quae permittunt opera servilia in die festo?*

R. Plura. 1. Gravis necessitas alendi se, ac familiam: vel grave motivum, ut instaurandi vias, etc. 2. *Pietas in Deum*, ut gratis construere, ac ornare templa, etc. 3. *Consuetudo*, ut laborare pro exequiis, ac nuptiis celebrandis, etc. 4. *Dispensatio* justa ab Episcopo, vel Parocho.

Q. 5. *An peccatum in die festo sit distinctae specialis malitiae?*

R. Alii negant; quia non est opus servile. Alii affirmant; quia Jo. 8. *Qui facit peccatum, servus est peccati*; adeoque saltem improprie opus est servile. Alii docent, quaedam peccata tantum esse specialis malitiae, ut rixa, ebrietas: etc. quia per se avertunt á piis operibus.

ART. 3.

De IV. Decalogi praecepto.

Q. 1. *Quod sit quartum Decalogi praeceptum?*

R. Hoc est: *Honora Patrem tuum, et matrem tuam.* Parentum nomine veniunt, qui eorum vices gerunt, ut Superiores, Domini, Tutores, Majores omnes. Praecipua subjicientur; adeoque.

Q. 2. *Quae sint filiorum officia erga Parentes?*

R. Sunt *amor*, *honor*, *obedientia*; horum signa exhibere debent. Hinc si verbis, signis, operibus magnam illis injuriam, vel tristitiam afferant, graviter peccant. At si parentes sint haeretici et-

iam occulti; patriae, vel Regis proditores, eos filii denunciare debent; quia bonum *Fidei*, et publicum praevalet.

Q. 3. *Quae sint parentum officia erga filios?*

R. 1. Quoad *animam*, corrigere debent, ac instruere. 2. Quoad *corpus*; alere mater primo triennio; deinceps pater donec filii sibi providere valeant, eisque legitimam saltem dare, si legitimi sint. 3. Quoad *statum*, curare, ut filii literas, aut artem discant; non eos ad hunc, vel illum cogere statum. Gravis parentum in praefatis negligentia, grave peccatum est.

Q. 4. *Quae sint officia uxoris in maritum, et vicissim?*

R. Invicem se amare, jura conjugii servare, cohabitare debent, secluso fidei, ac sanitatis periculo. Maritus nequit uxori jejunia prohibere, nisi obsint usui conjugii. Uxor nequit clam aliquid marito surripere, nisi familiae necessaria, illo tribuere nolente.

Q. 5. *Quae sint officia famulorum erga Dominos, et vicissim?*

R. Servi Dominos bonos, et malos honorare, in licitis obedire, illorum vitam, honorem, bona tueri, secluso propriae vitae periculo. Domini vero ad pactum cum servis pretium tenentur, eosque aegrotantes ex charitate alere.

C A P. III.

DE V. DECALOGI PRECEPTO.

Quintum Decalogi preceptum est: *Non occides.* Cum homo spiritu constet, ac corpore, quoad utrumque occidi valet. Corporis occisio, *homici-*

dium vocatur: Spiritus autem occisio *scandalum* audit. Duo igitur sint hujusce capitis articuli. 1. De homicidio. 2. De scandalo.

ART. I.

De homicidio.

Q. 1. *Quid, et quotuplex sit homicidium?*

R. Homicidium, est *hominis occisio.* Triplex est: *necessarium*, quod fit sententia Judicis; vel jure defensionis: *voluntarium*, quod fit a prava voluntate: *casuale*, quod accidit praeter intentionem. Est in publica potestate occidendi facultas: nam si ex Ap. *Non sine causa gladium portat*; causa est conservatio societatis facinorosorum occisione.

Q. 2. *An liceat aliquando innocentes occidere?*

R. Non *directe*, sed *indirecte* licet; ut cum expugnatur Civitas, in qua sunt etiam innocentes. At num ad bellum finiendum, liceat tradere tyranno innocentem, quem ille odit? Alii negant; probabilius affirmant alii; quia multorum vita, et commune bonum unius vitae praevalet.

Q. 3. *An liceat Judici damnare sibi notum innocentem, si ut reus hic probetur.*

R. Multi negant 1. Quia Exod. 23. *Innocentem, et justum non occides.* 2. Quia innocentis occisio est intrinsece mala. 3. Quia ageret contra conscientiam, etc. At Conc. Wingandt, aliique affirmant. 1. Quia Iudex uti debet scientia *publica*, secundum allegata, et probata; non sua *privata.* 2. Quia secus agens scandalo societati foret, ut justitiae violator, quod majus est malum etc. hinc non tenetur dimittere officium, sed eniti pro innocente, si forte prosit.

Q. 4. *An liceat umquam suicidium, seu seipsum occidere?*

R. *Directum*, ut libere se occidere, numquam licet. *Indirectum* ut periculo se exponere vitae, illicitum est pro ratione periculi: *Permissivum*, ut sinere se occidi ab invasore, ob caritatem licet: nam *Vim vi repellere permittunt* (non praecipiunt) *omnia jura*: modo invasus non sit persona publica, nec sibi conscius culpae lethalis.

Q. 5. *An liceat occidere uxorem, vel adulterum in ipso adulterio?*

R. Id damnavit Alexand. 7. *Non peccat maritus occidendo uxorem in adulterio deprehensam*: ergo peccat; et magis occidendo adulterum, si uxor sine gravi metu consenserit. Valet maritus dimittere tantum. Hic notandum, quod impediens foetus conceptionem, vel animationem, graviter peccat; et procurans abortum animati, fit etiam irregularis ex homicidio.

Q. 6. *An liceat seipsum castrare, vel mutilare?*

R. Utrumque graviter illicitum est, nisi ob vitae conservationem, sive a seipso, sive ab alio fiat: nec ob continentiam, nec ob vocis suavitatem. Error porro est, ut castratus irregularis, dispensatus testem secum ferat.

Q. 7. *An liceat occidere ob vitae defensionem?*

R. Licet; sed cum moderamine inculpatae tutelae, idest sine odio, et non sit alia via mortem evadendi; esto invasus occasionem invasori dederit: nam absolute dicitur, *Vim vi repellere permittunt omnia jura.* Tenemur dare vitam pro anima proximi, sed in extrema necessitate, in qua non est invasor. *Vid. sup. q.* 4.

Q. 8. *An liceat occidere ob defensionem bonorum, honoris, pudicitiae?*

R. Quoad bona: *Exod.* 23. Si fur sit nocturnus, licet: secus, si diurnus. Imo multi etiam cum S. Antonino affirmant et de diurno, si bona sint necessaria vitae, statui, magni momenti, et non sit via illa recuperandi. 2. Quoad honorem, et pudicitiam; communius negatur: at plerique sic arguunt cum Wingandt. *Licet occidere ob defensionem bonorum: melius est nomen bonum* ac pudicitia, quam divitiae multae, ex scripturis. Ergo a fortiori licet.

Q. 9. *Quid dicendum de homicidio casuali?*

R. Casuale dicitur; quod est praeter intentionem. Si actio, ex qua oritur homicidium sit licita, non est imputabile; modo adhibeatur diligentia. Si sit illicita, et ex ea oriri solet, est imputabile: secus, si oriri non solet; *communiter.*

ART. 2.

De scandalo.

Q. 1. *Quid, et quotuplex sit scandalum?*

R. *Est dictum, vel factum minus rectum, praebens alteri occasionem peccandi.* Dicitur *minus rectum*, *et praebens*; quia sufficit ut peccati speciem habeat, et ad peccandum inducere possit, licet non semper inducat. Dividitur 1. In *directum*, cum quis vult inducere; et in *indirectum*, cum quis agit, quin inducere velit. 2. In *activum* cum quis dat occasionem: et *passivum*, cum recipit occasionem. 3. *Passivum*, vel est *pharisaicum* in illis, qui ob malitiam; vel *pusillorum* in his, qui ob ignorantiam putant malum, ubi non est.

Q. 2. *Quale peccatum sit scandalum, et quando committatur?*

R. Est veniale, vel mortale prout est malum, ad quod inducit. Committitur, cum quis advertit probabile periculum ruinae proximi. Multiplicatur pro numero illorum, qui scandalizantur. *Communiter.*

Q. 3. *An ob scandalum vitandum omittenda sint opera spiritualia?*

R. *Ob pharisaicum*, nunquam; quia oritur a malitia, non ab operibus. *Ob pusillorum* vero: I. Quae sunt praecepti non sunt omittenda; quia nemo tenetur peccare, ne alius peccet. II. Quae vero sunt *consilii*, valent omitti, donec moneatur proximus de veritate, vel honestate dicti, vel facti: nam postea erit *pharisaicum.*

Q. 4. *An suadere liceat minus malum, ob majus vitandum?*

R. Si utrumque malum respicit diversas personas, ut vel occidere Cajum, vel ejus amicum ferire; non licet; quia laeditur jus alterius? Si vero utrumque malum eamdam respicit personam; ut vel occidere, vel ferire Cajum, tunc si monitio non proderit, suaderi valet minus malum; quia sic favor fit Cajo, et majus peccatum impeditur.

Q. 5. *An licita sit cooperatio materialis peccato alterius?*

R. Cooperatio materialis est praebere materiam, vel auxilium, sine prava intentione. Nunc si cooperatio nonnisi peccatum parit, ut haerum adjuvare per murum ad fornicandum, prorsus illicita est, et contrarium damnavit Ecclesia. Si vero cooperatio sit indifferens ad bonum, et malum, ut vinum se inebrianti praebere, licita est in gravi necessitate vitandi grave malum.

CAP. IV.

DE VI. DECALOGI PRÆCEPTO.

Sextum Decalogi praeceptum est: *Non maechaberis*, licet *maechari*, et *maechia*, nonnisi adulterium innuant, Ecclesia tamen docet, omnem vetari luxuriam. De ea I. In genere. II. In specie agendum.

ART. I.

De luxuria in genere.

Q. 1. *Quid, et quotuplex sit luxuria?*

R. Est inordinatus appetitus venereorum. Dicitur *inordinatus*; quia extra matrimonium est contra ordinem rationis. Duplex est: *perfecta* si sit cum seminis effusione: *imperfecta*; si secus; ut in solo turpitactu, etc. Quaevis gravis est; et nonnisi ex imperfecta advertentia, vel consensu levis esse valet.

Q. 2. *An ignorantia, vis, metus a luxuriae peccato excusent?*

R. Minime. Nam 1. Si sit copula, nec invincibilis ignorantia in ea datur ex *Concil. Vienn.* et si absque copula, probabilius ignorantia vincibilis est. Vis afficit corpus; quae si repelli nequeat consensus certe cohiberi valet. Metus etsi gravis non perimit voluntarium; et tenemur mori potius, quam peccare.

Q. 3. *Quae sit virtus luxuriae opposita?*

R. Est castitas, seu *virtus reprimens venerea.* Triplex est castitas: *conjugalis*, quae reprimit extra matrimonium: *vidualis*, quae reprimit post

mortem conjugis : *virginalis*, quae semper reprimit. At virginitas, vel est *materialis*, idest carnis claustrum, quo etiam vi fracto, illa irreparabiliter amittitur : vel *formalis*, seu propositum vitandi venerea, quae non amittitur, si virgo compressa dissentiat.

Q. 4. *Quid, et quotuplex sit luxuriae causa?*

R. Causa est quicquid ad luxuriam provocat. Duplex est *proxima*, in qua plerumque quis labitur; et *remota*, in qua plerumque non labitur. At fieri valet, ut quae in fortioribus sit remota, in debilioribus proxima fiat. *Proxima* semper est vitanda : *remota* vero cum probabiliter timetur lapsus in peccatum.

ART. 2.

De luxuria in specie.

Q. 1. *Quot sint luxuriae species?*

R. Sunt octo : *fornicatio*, *adulterium*, *incestus*, *stuprum*, *raptus*, *meretricium*, *concubinatus*, *vitium contra naturam*.

Q. 2. *Quid sit fornicatio, et ad quid teneatur fornicator?*

R. *Fornicatio* est coitus soluti cum soluta *corrupta*; secus erit *stuprum*. Fornicator tenetur ad matrimonium cum complice, si promiserit, et ad prolem alendam post primum triennium ex *Jure*. Si plures cum eadem coierint; tenetur ille cui probabilius adjudicatur proles, spectatis prioritate coitus, physionomia, tempore partus, etc. In pari dubio tenentur omnes pro rata, et aliis deficientibus quisque in solidum.

Q. 3. *Quid sit adulterium; et ad quid teneatur adulter?*

R. *Adulterium* est coitus viri cum aliena uxore. Duplex est grave peccatum, contra castitatem, et contra justitiam in alterius conjugem: si uterque adulter sit conjugatus, duplex erit injustitia. Ad quid teneantur adulteri, dicetur *cap.* 5. *art.* 3.

Q. 4. *Quid, et quotuplex sit incestus? et quotuplex peccatum?*

R. Est coitus cum persona propinqua. Triplex est. *Carnalis*, si sit cum consanguinea, vel affine ad quartum gradum. *Spiritualis*, si sit cum prole in Baptismo, vel Confirmatione suscepta, ejusque patre, vel matre. *Legalis*, si sit in personas primo gradu adoptantis, et adoptati; exceptis filiis emancipatis adoptantis. Duplex est peccatum contra castitatem, et pietatem.

Q. 5. *An detur incestus improprie dictus?*

R. Affirm. sic est coitus inter Parochum, et Parochianum; inter Confessarium, et poenitentem. Licet quivis incestus speciatim sit in confessione aperiendus: incestus tamen *improprie* dictus, nec reservationi subjacet, nec poenis in incestuosos latis: nam lex poenalis restringitur ad verum incestum.

Q. 6. *Quid sit stuprum, et ad quid teneatur stuprator?*

R. Est coitus soluti cum soluta virgine. Duplex est peccatum contra castitatem, et integritatem; et si fiat vi, metu, dolo, etiam contra justitiam. Omnia in Confessione aperienda. Si vir virginitatem amittat, non tenetur id exprimere quia caret claustro, quod fragatur. Ad quid teneatur stuprator *cap.* 5. *art.* 3.

Q. 7. *Quid sit raptus, et ad quid raptor teneatur?*

R. Est violenta feminae abductio *libidinis cau-*

sa: nam *matrimonii causa* est impedimentum dirimens, de quo postea. Duplex est peccatum luxuriae, ac injustitiae ob vim in puellam, parentes, tutores, etc. omnia in Confessione aperienda. Raptor si sit simul adulter, et stuprator, tenetur *ut sup. q.* 3, *et* 6.

Q. 8. *Quid sit meretricium, et quae ad ipsum pertineant?*

R. Est turpis quaestus venalis corporis feminae: nam *meretrix* dicitur a lucro sic merendo. Licet potestati supremae permittere meretrices, ne vexentur honestae: nam Aug. *Aufer meretrices, turbaveris omnia libidine.* Hinc licet ipsis locare domos, ubi determinat Potestas, *ex D. Th.* Licite meretrix lucrum exigit, ex quo illicite tributum exigeretur.

Q. 9. *Quid sit concubinatus; et quae ad ipsum pertineant?*

R. Est fornicatio cum una modo uxorio. Hinc tria requiruntur; *una cum uno, liber accessus, copula frequens*, juxta modum uxorium. Laici concubinarii *notorii* sunt infames, et per id irregulares. Clerici vero insuper sunt suspensi, et sic actum Ordinis exercentes, eorum irregulantas est Papae reservata.

Q. 10. *Ad quid teneatur concubinarius?*

R. Tenetur ejicere concubinam, etsi valde utilem; ejusque imaginem auferre: secus non est absolvendus. At si graviter decumbat, scandalum absit, et periculum evaserit remotum, absolvi valet ob mortis periculum.

Q. 11. *Quid, et quotuplex sit vitium contra naturam?*

R. Est illa luxuria, ex qua sequi nequit generatio. Quodruplex est; *Sodomia, bestialitas, mol-*

lities, indebitus coeundi modus; I. *Sodomia* est coitus inter personas ejusdem sexus: hinc si vir coeat cum muliere in vase praepostero, non vera est et perfecta sodomia. Clerici, ac Religiosi sodomitae privantur officio, ac beneficio: at occultus non tenetur se prodere. II. *Bestialitas* est coitus cum bestia; vel daemone sub humana specie, vel brutina. Bestiae species non est in confessione aperienda. At tum humana, tum brutina a daemone assumpta est exprimenda, tum ob vitium contra Religionem, tum ob varias peccatorum species, incestus, v. g. stupri, adulterii, etc. licet haec peccata nec reservationi subjaceant, nec penis in ipsa latis, quia mere interna. III. *Mollities* est voluntaria pollutio absque coitu. Alia est voluntaria in *se*, cum expresse intenditur: alia in *causa*, cum in ea praevidetur: Si causa est honesa, ut v. g. equitare, innoxia est pollutio, modo displiceat: si causa sit mortalis, vel venialis, sic erit, et pollutio, etsi displiceat. IV. *Indebitus coeundi modus* est ille, qui rationi adversatur, ut si vir succubat, vel a tergo coeat in vase proprio: at de hoc ubi de usu conjugii.

CAP. V.

DE VII. DECALOGI PRAECEPTO.

Septimum Decalogi praeceptum est; *Non furaberis*. Prohibet furtum, et quodvis damnum; ac praecipit restitutionem. Ideo.

ART. I.

De furto, ac damno.

Q. 1. *Quid sit furtum?*

R. *Est occulta rei ablatio*, domino *rationabiliter* invito; nam si violenta dicitur *rapina*; et duplex peccatum ob injuriam quoque personae illatam. Dicitur *rationabiliter*, quia dantur casus, in quibus foret dominus irrationabiliter invitus.

Q. 2. *An aliquando furari liceat?*

R. Duobus licet in casibus. 1. In extrema necessitate: nam tunc omnia sunt communia, quia bonorum divisio est juris humani, cui praevalet jus naturae servandi vitam. 2. Cum creditor nullimode valet repetere, quod sibi debetur, occulte accipit. In hisce casibus furari licet; quia dominus foret irrationabiliter invitus.

Q. 3. *Quale peccatum sit furtum? et quae rei quantitas sit gravis?*

R. Furtum genere suo est grave; quia grave fieri valet, et parvitate tantum materie fit leve. Communiter porro gravis rei quantitas est, quae ad victum unius diei satis sit, juxta personae statum, ac solitam viveudi rationem; vel si parum sit causa, cur quis non lucretur victum unius diei, ut si sutor ob ablatam subulam non laboret.

Q. 4. *Quid dicendum de furtis minutis?*

R. Ex *D. Th.*, qui minutatim furatur, si initio animum habuit deveniendi ad grave, quoties furatur graviter peccat. Si talem animum non habuit, tunc graviter peccat, cum ad grave devenerit, modo non advertat praeterita furtula: secus si advertat. Si vero modicum furetur, cui alii quo-

que furantur; tunc si consilio fuit, aut exemplo aliis, graviter peccat, secus leviter, quia non influit.

Q. 5. *Quid dicendum de furtis domesticis?*

R. Domestica dicuntur furta, quae fiunt ab uxore, filiis, servis, ac sartoribus. Hi si quid notabile furentur, graviter peccant; et restituere debent: nisi quod maritus, pater, dominus minus inviti putantur, praesertim in *esculentis*, et *poculentis*. Sartores fragmenta dominis inutilia retinere valent, non vero utilia.

Q. 6. *Quid, et quotuplex sit damnum?*

R. Est laesio boni proximi. Duplex est bonum: *personale*, ut vita, sanitas, honor; et *reale*, ut res aliae. Qui per se infert damnum, *damnificator* audit; qui cum eo concurrit *cooperator*.

Q. 7. *Quot sint cooperatores, seu causae damno cooperantes?*

R. Sunt novem in sequentibus comprehensae versiculis.

Jussio, consilium, consensus palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

1. *Jussio* innuit mandantem; hic si mandatum revocet, et id ante factum mandatario pateat, ad nil tenetur, etsi postea damnum ratihabeat, modo ratihabitio non sit causa illud non reparandi. 2. *Consilium* innuit consulentem, hortantem, modum docentem. Consulens tantum, et hortans non tenentur de damno, si consilium revocent, ut de mandante dictum est. Modum vero docens tenetur, etsi revocet; quia modus indicatus revocatione non extinguitur. 3. *Consensus* indicat approbationem, suffragium, etc. qui si sic se retractat ante damnum, ut in istud non influat ad nil tenetur. 4. *Palpo* indicat laudantem, deridentem etc. ut quis ad damnum moveatur. Ad nil tenetur, si se ante dam-

num ita retractet, ut non influat. 5. *Recursus* indicat receptatorem damnificantis, ut talem: nam si recipiat ut amicum, hospitem, etc. ad nil tenetur. 6. *Participans* indicat damni complicem, vel furti partem accipientem. 7. *Mutus*, qui non clamat; *Non obstans*, qui non resistit; non *manifestans*; qui non revelat, indicat. Hi tres si ex officio debeant clamare, resistere, revelare, ut servi, custodes, etc. de damno tenentur.

Q. 8. *Quo ordine de damno teneantur praefati cooperatores?*

R. Tenetur. 1. Qui rem, vel partem habeat, vel mala fide consumpsit. 2. Mandans. 3. Mandatarius. 4. Consulens. 5. Palpo. 6. Consentiens. 7. Recipiens. 8. Mutus, non obstans, non manifestans aequaliter. Si unus totum restituat, alii sunt liberi. Deficientibus aliis, quisque tenetur in solidum. Concurrentibus aliis quisque pro sua rata tenetur.

ART. 2.

De restitutione in genere.

Q. 1. *Quid sit restitutio? an necessaria? Quando, et cui facienda?*

R. Restitutio est rei alienae redditio; vel damni compensatio. In *voto* est necessitatis *medii*; et *in re* necessitatis praecepti. Quamprimum est facienda, si nulla sit ratio differendi, ut infra. Proprio domino; eo mortuo, haeredibus, illo ignoto pauperibus facienda est.

Q. 2. *Quae causae extinguant? et quae suspendant onus restitutionis?*

R. Extinguunt. 1. *Remissio* libera creditoris. 2. *Professio* religiosa. 3. *Necessitas extrema*, si in

ea ablata sit, vel damnificata res aliena. Suspendunt. 1. *Impotentia physica*, itaut debitor vix vivere valeat. 2. *Impotentia moralis*, ut si timeatur grave malum proprium, vel alienum. 3. *Cessio bonorum*, ut si debitor solvendo impar, ne carcerem subeat, cedit omnia sua. Valet quid occulte retinere ad parce vivendum, *aut. Wigandt.*

Q. 3. *Quot sint radices restitutionis?*

R. Tres communiter. 1. *Res accepta*, idest qui accepit bona fide, cum veniat in malam fidem: nam tunc tenetur ad rem, si extet; vel in quo ditior evaserit, aut de suo pepercerit. 2. *Injusta acceptio*, idest qui accepit mala fide; qui tenetur ad rem, et ejus fructus extantes, vel ad aequivalens: Item compensare lucrum cessans, et damnum emergens. Valet expensas deducere, quas subiisset dominus. 3. *Contractus*, idest qui se ad aliquid obligarit, ut depositarius, advocatus, etc. si culpabiliter in damnum influxerit.

Q. 4. *Quotuplex sit culpa, ex qua oritur onus restitutionis?*

R. Duplex est; *theologica*, idest quodvis peccatum; et *juridica*, idest omissio diligentiae. Posterior triplex est: *lata*, idest omissio diligentiae communis, ut rem custodire in domo sine clavi clausa: *levis*, idest omissio diligentiae specialis, ut in domo clavi clausa: *levissima*, idest omissio diligentiae specialissimae, ut in domo clausa, et probata.

Q. 5. *Quomodo ex singulis praefatis culpis oriatur restitutio?*

R. Ex *theologica* oritur, cum in ea damnum fuerit praevisum, ut si praevideas ex tuo mendacio damnum secuturum, ad illud teneris. Ex *Juridica* vero oritur, etsi damnum non fuerit praevisum, ut infra.

Q. 6. *Quomodo ex culpa juridica oriatur restitutio?*

R. Diversimode. Nam extra *contractum* tenetur quis ex quavis juridica culpa, ut accidit in venatoribus, muratoribus, etc. In *contractu vero*; si sit in utilitatem accipientis rem, ut commodatum, commodatarius tenetur ex culpa levissima: si sit in utilitatem dantis, ut depositum, depositarius tenetur ex culpa lata: si sit in utilitatem utriusque, ut equi locatio, locatarius tenetur ex culpa lata, et levi.

Q. 7. *Quo loco; et cujus expensis restituendum sit?*

R. Possessor bonae fidei, veniens in malam fidem, non debet suis expensis rem domino remittere; quia sine culpa, poena nulla: sed sufficit si dominum moneat. Possessor vero malae fidei suis expensis debet remittere; et si res etiam casu pereat, sibi non domiuo perit. Si denique res debita sit ex contractu, remittenda est expensis illius, in cujus commodum fuit contractus, et eidem etiam casu perit. *Comm.*

Q. 8. *Quis ordo servandus in restitutione facienda?*

R. Si bona debitoris creditoribus omnibus sufficiant, non est opus ordinem servare; quia nulli fit damnum. Secus praeferendi certi dubiis, ac incertis: hypothecarii chyrographariis; antiquiores recentioribus: secus in re gravi quis graviter peccat.

ART. 3.

De restitutione in specie.

Tot sunt restitutionis species, quot diversa proximi bona. Ex his alia sunt *in spe*, alia *in re*; alia corporis, alia animae, ut infra.

Q. 1. *Ad quid teneatur, qui alium injuste impedit ne bonum consequatur?*

R. Si bonum erat officium, beneficium, etc. tenetur restituere aequivalens illi, qui certus erat; vel spei, quam quis habebat de illo: nam impediens violat jus alterius ad rem.

Q. 2. *Ad quid teneatur, qui alium retrahit a Religione?*

R. Si retrahit ab ingressu, et professione, graviter peccat, et incurrit excommunicationem Papalem. Qui vero retrahit professum, tenetur efficere, ut redeat; et si redire nolit, tenetur compensare monasterii damnum, etiamsi opus fuerit tradere se in famulum.

Q. 3. *Ad quid teneatur, qui alium laesit in bonis animae?*

R. Bona animae *naturalia*, ut rationis usus, scientia, etc. maleficio laeduntur: *supernaturalia*, ut gratia, devotio, etc. scandalo. Priora restituuntur tollendo, sine novo peccato, maleficium, et damna secuta compensando. Posteriora, efficiendo, ut laesus resipiscat, etc.

Q. 4. *Ad quid teneatur, qui laesit in bonis corporis?*

R. Bona corporis sunt vita, et membrorum integritas. Injustus occisor, vel mutilator tenetur compensare injuriam, et damna laeso, vel familiae; lucrum cessans, et damnum emergens; quod onus transit ad haeredes, etsi laesor morte puniatur. At si laesor cum moderamine se defenderit, vel mutuo se provocaverint ad nil tenetur.

Q. 5. *Ad quid teneatur stuprator?*

R. Si violavit virginem volentem, vel leviter rogatam, ad nil tenetur in foro poli; quia *volenti, ac consentienti non fit injuria.* Si vi, dolo,

metu violaverit, tenetur vel ducere, vel dotare; vel stare Judicis sententiae. Si spe matrimonii, tenetur ducere, licet ficte promiserit; *D. Th.*; modo nihil obstet, ut infra.

Q. 6. *An stuprator sub spe matrimonii, semper ducere teneatur.*

R. Negative. Nam non tenetur, sed aliter compensare in his casibus 1. Si vir sit multo nobilioris conditionis. 2. Si puella se finxit virginem, vel postea cum alio fornicetur. 3. Si adsit impedimentum dirimens; vel castitatis votum simplex praecesserit. 4. Si gravia mala, vel scandala sequerentur.

Q. 7. *Ad quid teneantur adulteri?*

R. Si non fuerit secuta proles, nonnisi ad veniae petitionem tenentur, altero sciente conjuge. Si secuta fuerit, tenentur efficere, ne laedatur legitima: at si nil juvat, spurii mater non tenetur se prodere, licet spurius haereditati succedat; quia famae bonum praevalet.

Q. 8. *An aliquando adulteri se prodere teneantur?*

R. Affirm: duobus in casibus. 1. Si spurius sit haeresi infectus, in principatum successurus, et alios corrupturus; tunc debet se prodere mater; quia famae bono praestat bonum fidei. 2. Si spurius nubere velit filiae sui patris, quae soror sua est ex patre; tunc ambo adulteri debent impedire; et si nil juvat se prodere, ob impedimentum dirimens in primo consanguinitatis gradu, quod juris est naturae.

Q. 9. *Ad quid teneatur laesor famae, seu infamator?*

R. Tenetur omni possibili modo, etiam retractatione, ac periculo suae famae, ac fortunae,

non vero vitae, famam resarcire. Si libello famoso, vel signo v. g. cornuis ad januam appensis infamavit, tenetur publico scripto, vel voce praeconis. Item compensare secuta damna, et veniam petere. In superioribus, Magistris, Viris illustribus, loco veniae sufficiunt benevolentiae signa, *Ne frangatur auctoritas*, ait Aug.

Q. 10. *Quae ab infamia excusent?*

R. Excusat 1. *Justitia*, ut si Judex manifestare delictum, et reum damnare debeat; modo sine odio faciat. 2. *Charitas*, ut si quis ob vitandum sibi, vel aliis grave malum, dicat talem esse fallacem, latronem, proditorem, etc.

Q. 11. *Quae a restitutione famae excusent?*

R. Excusat 1. *Condonatio*; quia *Juri suo quisque cedere valet.* Excipe si fama sit vel Communitati alligata, vel obeundo officio necessaria, ut in confessario etc. 2. *Inutilitas*, ut si crimen sit notorium, vel infamia in oblivionem obierit, vel si fama reparata jam fuerit, vel si loquendo pejus fiat.

Q. 12. *An liceat infamatò, ob suam famam reparandam infamare infamatorem? An liceat infamare jam infamem, vel mortuum?*

R. Primum licet, si verum dicatur, et aliter infamia repelli nequeat; quia sic defenditur jus ad famam. Alterum licet, etsi falsum dicatur, si crimen sit notorium, ut de meretrice, cui non aufertur fama, licet illa vice nil fecerit. Tertium est graviter illicitum; quia mortuus vivit in sua fama penes alios relicta.

Q. 13. *An liceat revelare injuriam sibimet illatam?*

R. Licet, si fiat amico, vel Viro gravi non odio, sed causa leniendi doloris, capiendi consilium, petendi auxilium; quia sic laesus jure suo

utitur. Secus vero si revelet injuriam alteri factam; quia id cohonestari nequit, et famam compensare tenetur.

Q. 14. *An liceat seipsum infamare?*

R. Licet ob humilitatem, si verum dicat; quia virtus famae praestat, modo scandalum absit, et non obstet officiis charitatis, ac justitiae, ut in Confessario, Concionatore, Judice etc. Hinc 1. Qui fatetur crimen falsum, ut citius mortem subeat, et acerbiora tormenta evadat, graviter peccat, quia illicite cooperatur ad sui mortem. 2. Qui fatetur verum, et ob id moriatur, non peccat; quia reus est mortis. 3. Qui revelat occultum crimen testis, ut mortem evadat, non peccat, quia vita famae praestat.

CAP. VI.

DE VIII. IX. X. DECALOGI PRAECEPTO.

Octavum praeceptum est: *Non loqueris falsum testimonium*, quo prohibentur judicium temerarium, et mendacium. Nonum est: *Non concupisces domum proximi tui*; quo prohibetur desiderium rei alienae. Decimum est: *Nec desiderabis uxorem ejus*, quo prohibentur prava desideria. Hinc.

Q. 1. *Quid sit judicium temerarium, et quale peccatum?*

R. Est firmus assensus de malo proximi sine sufficienti ratione. Ejus gravitas, vel levitas sumitur ex injuria, quam quis sibi fieri putat. Sic judicium temerarium de duello in milite non est grave; quia miles non putat gravem sibi fieri injuriam. Secus de mendacio in Viro beneviso.

Q. 2. *Quid sit dubium temerarium, et an peccatum?*

R. Est suspensus assensus de malo proximi, sine sufficienti ratione. In materia levi nullum est peccatum; quia proximus non putat injuriam sibi fieri. In materia vero gravi saltem est veniale; quia Vir probus aegre fert, ut quis sine ratione de se dubitet in materia gravi.

Q. 3. *Quid sit suspicio temeraria; et an peccatum?*

R. Est debilis assensus de malo proximi sine sufficienti ratione. Non est grave; quia assensus non est perfectus, licet in materia gravi. Est tamen veniale plusquam dubium temerarium, in quo suspenditur assensus, *ut sup.* nam Glossa; *Dubia in meliorem partem accipienda.*

Q. 4. *Quid, et quotuplex sit mendacium?*

R. Est *locutio contra mentem. Est formale*; ac pravum; si quis advertat se mentiri: *materiale*, si secus. Fieri valet nedum verbis, sed et signo; ac scripto. Triplex est: *jocosum* ad solatium; *officiosum* ad utilitatem, *perniciosum* ad damnum. Priora duo sunt venialia: tertium prout est damnum.

Q. 5. *Quid, et quotuplex sit restrictio mentalis?*

R. Est sensus mentis diversus a sensu verborum; quatenus aliud quis dicat, et aliud dicere velit. Duplex est; *pure mentalis*; si sensus diversus a nemine nosci valeat; ut *heri id non feci*, subintelligens *hora diei vigesima*; ac *mixte mentalis*, si sensus diversus a sagaciori nosci possit, ut *id nescio*, subintelligens ad dicendum.

Q. 6. *An licita sit restrictio mentalis?*

R. *Pure mentalis* illicita est, ac verum mendacium proximum decipiens, qui nullimode aliud advertere valet. *Mixte mentalis* aliquando licita est, cum agitur de malo cavendo, vel secreto servan-

do: nam tunc decipitur proximus *per accidens*, quia minus sagax est; hinc etiam Christus ait, se nescire diem judicii, subintelligens *ad dicendum*; ac non ascensurum ad diem festum, subintelligens *palam.*

Q. 7. *An liceat concupiscere bona proximi?*

R. Sine proximi damno licet. Hinc qui cupit habere sanitatem, scientiam, divitias alicujus, non peccat, modo nolit, ut illa sint in se, ac non in alio.

Q. 8. *An aliquando liceat concupiscere mala proximo?*

R. Licet si mala ordinentur ad majus proximi bonum: Sic si divitiae, sanitas, etc. sint causae amittendi Dei gratiam, licet cupere, ut quis illis careat. At non licet ob proprium commodum: nam Catech. Rom. ait: Graviter peccant mercatores, qui alios egere cupiunt: medici, qui morbos: advocati, qui causas, etc. cupiunt.

Q. 9. *An liceat desiderium conditionatum; si quid non foret malum?*

R. Si conditio sit possibils, ut *ederem carnem si non foret vetitum*; licet: secus si conditio sit impossibilis, ut *fornicarer si liceret.*

Q. 10. *Quid sit delectatio morosa; et quale peccatum?*

R. Est *simplex* complacentia de objecto malo. Dicitur *morosa* non a mora quia valet *esse* in instanti; sed a deliberatione voluntatis: dicitur *simplex*, ut distinguatur a desiderio pravo. Gravis est, si ejus objectum sit grave; et peccatum est illius speciei, cujus est objectum, ut stupri, adulterii, ebrietatis, etc. si delectatio sit de modo tantum extrinseco, ut de sagacitate in furando, de lapsu ebrii ambulantis, etc., non est graviter illicita.

SPECULI THEOLOGIÆ CORDIS.

PARS V.

DE PRÆCEPTIS ECCLESIÆ.

Ecclesiae praecepta, vel sunt fidelibus omnibus communia; vel quibusdam personis specialia. Ideo.

CAP. I.

DE COMMUNIBUS ECCLESIÆ PRÆCEPTIS.

Quinque sunt Ecclesiae praecepta communia: 1. De Missae auditione. 2. De jejunio, et abstinentia. 3. De annua Confessione, et Paschali communione. 4. De nuptiis aliquando non ineundis. 5. De decimis.

ART. 1.

De Missae auditione.

Q. 1. *Cur, quando, et ubi audienda sit Missa?*

R. Est audienda, quia cum ratio dictet, destinari aliquod tempus ad Dei specialem cultum, Ecclesia statuit Missam in festis, et cum urget praeceptum. Audiri valet in quavis Ecclesia, et Capella, modo pateat aditus ad viam: excipiuntur Capellae Episcoporum, et Religiosorum, quae li-

cet in domibus, valet in eis Missa, quia privilegiata sunt.

Q. 2. *Quomodo Missa sit audienda?*

R. 1. *Integre.* Omittens partem essentialem, ut consecrationem, vel sumptionem, vel partem notabilem ut ab initio ad totam Epistolam, non satisfacit. Innoc. XI. damnavit hanc thesim. *Satisfacit, qui duas partes, imo quatuor simul a diversis Sacerdotibus audit simul.* 2. *Attente*, itaut quis advertat dici Missam, et velit audire, licet non advertat esse diem festum. 3. *Devote*, itaut vel divina mysteria meditetur, vel preces recitet. Notabilis voluntaria distractio, studium, etc. gravis culpa est.

Q. 3. *Qui ad Missam teneantur, et quae a Missa excusent?*

R. Tenentur, qui usum habent rationis: nam sic colere Deum valent. Excusat duplex causa, *physica*, et *moralis*, ut sequitur.

Q. 4. *Quae causa physica excusat a Missa?*

R. Defectus, vel temporis ut navigantibus etc. vel modi, ut in graviter infirmis; vel status, ut in excommunicatis, et interdictis; modo per eos non stet, quin absolvantur, secus peccant in causa. Item excusat nimia Ecclesiae distantia, judicio prudentum.

Q. 5. *Quae causa moralis a Missa excuset?*

R. Est probabile grave damnum in bonis vitae, honoris, fortunae. Hinc excusantur, rixas timentes; honestae puellae honesto habitu carentes; praegnantes ex occulta fornicatione; milites stationarii; gregum custodes; Filii, servi, uxores a parentibus, dominis, maritis impediti, modo non sit in contemptum Ecclesiae.

Q. 6. *An Missae satisfaciat, qui simul confiteatur, vel coscientiam discutiat?*

R. Negative. Nam utraque attentionem a Missa divertit. Excipe, qui sit in mortali, et aliud non habeat tempus; quia praevalet ratio se justificandi.

ART. 2.

De jejunio, et abstinentia.

Q. 1. *Quid sit jejunium*; *quid abstinentia*; *quot jejunii partes?*

R. *Jejunium* communiter acceptum est cibi privatio juxta regulas Ecclesiae. *Abstinentia* est quorumdam ciborum privatio, ut carnium, etc. Tres sunt jejunii partes; *qualitas cibornm, unica refectio, tempus refectionis.* Probabilius unica refectio est de essentia, caeterae integrales.

Q. 2. *Quotuplex fit jejunium?*

R. Ex D. Th. triplex est. *Spirituale*, idest abstinentia a peccatis. *Naturale*, idest abstinentia ab omni cibo, et potu. *Morale*, idest abstinentia a cibo, et potu juxta temperantiam. *Ecclesiasticum*, idest ut sup. *Q.* 1.

Q. 3. *Quae ciborum qualitas est in jejunio servanda?*

R. In quadragesima excluduntur carnes, et lacticinia. Iu aliis jejuniis, quoad lacticinia regionum usus servandus. Pluries edens vetitos cibos, toties peccat: at materiae parvitas, ut parvus bolus a gravi excusat. Dispensatus ad carnes, semel eis in die vesci valet; nec in eadem mensa pisces miscere valet, ac tenetur ad jejunium.

Q. 4. *Quid de unica refectione dicendum in die jejunii?*

R. Ea non excludit nunc collationem serotinam, juxta praxim viri timorati. Extra mensam, mate-

riae parvitas plus, minusve uncia venialis est; et cum aliquali necessitate culpa caret. Interruptio prandii, per modicum tempus prudentum judicio, jejunium non frangit. Chocolatae parvitas, uti de alio cibo dictum est, extra mensam permitti valet.

Q. 5. *Quid de hora refectionis dicendum in die jejunii?*

R. Olim erat nona, seu 21: deinde sexta, seu meridies. Horam anticipare refectionis; vel collationem in meridie, prandio ad vesperum reservato, etiam sine aliqua causa, leve putatur. Hinc refectionis hora non est essentialis jejunii pars.

Q. 6. *Qui teneantur ad jejunium?*

R. Fideles omnes, etiam haeretici, quia Ecclesiae subditi. At carentes usu rationis ad nihil tenentur; adeoque pueris, et amentibus carnes dari valent. Pueri post septennium tenentur abstinere a carnibus, et lacticiniis; et anno 21 expleto, tenentur ad jejunium.

Q. 7. *Qui a jejunio excusantur?*

R. Qui ob jejunium grave subirent damnum. Hinc excusantur 1. Senes, convalescentes, gravidae, lactantes, etc. 2. Mendicantes ostiatim, et qui ob pudorem non mendicant, si non habeant sufficientem cibum ad unicam refectionem. 3. Laborantes, itenerantes, concionantes etc. modo ex jejunio parum idonei fiant: non vero cantores; quia potius, ut vulgo; *cantores amant humores.*

ART. 3.

De annua confessione, et paschali communione.

Q. 1. *Qui tenentur, et quando ad annuam confessionem?*

R. Tenentur Fideles rationis capaces: etiam haeretici, quia Ecclesiae subditi. Qui non est in mortali probabilius non tenetur. Quisque porro infra annum, cum ei placuerit, tenetur. Hinc qui non habet aliquod mortale, communicare in paschate valet absque confessione, si aliquando fecerit, vel faciet. Qui probabiliter timet confiteri non posse circa finem anni, anticipare tenetur. Anno elapso cessat obligatio.

Q. 2. *Cui, et ubi facienda sit annua confessio?*

R. Fieri valet cuivis Confessario, et cujusvis Diaecesis. Nam illud Later. IV. *Proprio Sacerdoti*, communiter accipitur pro quovis ad confessiones approbato.

Q. 3. *Quomodo facienda sit annua confessio?*

R. 1. Fieri valet nutu, vel scripto, si aliter fieri nequeat. At per interpretem nemo tenetur ob famam, excepto periculo mortis, quia tunc salus famae praevalet, et contritio difficilis est. 2. Fieri debet valide: Nam Alexánder VII. hanc damnavit thesim: *Qui facit confessionem voluntarie nullam, satisfacit*, idest si advertat esse nullam; hinc tenetur iterum confiteri. At qui post validam confessionem recordetur alicujus obliti, vel juste taciti mortalis, non tenetur iterum eo anno.

Q. 4. *Quis, quando, ubi, et quomodo communicare debeat in Paschate?*

R. Debet fidelis annos discretionis attingens, judicio Parochi, vel Confessarii; debet infra quindenam a Dominica Palmarum: at praxis Dioecesis servanda. Qui tunc non communicat, tenetur ut primum poterit: et qui praevidet impedimentum, anticipare debet. In propria Paroecia, vel alibi de Parochi licentia. Non impletur praeceptum ex Inn. XI. sacrilega communione, modo id advertatur.

ART. 4.

De nuptiis, ac decimis.

Q. 1. *Quo tempore, et quae nuptiae prohibeantur?*

R. Prohibentur a prima Dom. Adventus ad Epiphaniam; et a feria IV. cinerum ad Dom. in albis. Nuptiae vetitae illae sunt, quae fiunt publice cum populi concursu, ac tripudiali convivio in traductione sponsae; at locorum praxis est servanda.

Q. 2. *Quid, et quotuplex sit decima, et quo jure statuta?*

R. Est decima pars frugum terrae, aliarumque rerum Dei Ministris quotannis solvenda. Triplex est *realis* ex fructibus immobilium; *personalis*, ex fructibus industriae, officii etc. *mixta*, ex utrisque fructibus. In *lege naturae* ratio dictabat non decimam, sed congruam sustentationem. In *lege scripta* jure dominico statuta fuit decima pars fructuum. In *lege nova* jure Divino statuta est congrua; et ut haec sit decima pars, jure Ecclesiastico.

Q. 3. *An Papa dispensare valeat in decimis; et cui solvendae?*

R. Uti sustentatio sunt, nequit; quia sic sunt juris naturalis, ac divini, ut sup. *q.* 2. Uti vero pars decima, potest in totum, vel partem juxta Ministrorum statum; quia sic est juris canonici. Solvendae sunt Papae, Episcopis etc. a respective subditis, ex justitia ob labores, juxta morem locorum.

CAP. II.

DE SPECIALIBUS ECCLESIÆ PRÆCEPTIS.

Specialia Ecclesiae praecepta sunt, quae particulares respiciunt personas, et revocantur ad horas Canonicas, Beneficia, censuras, irregularitates, etc. De singulis pro instituti ratione.

ART. I.

De horis Canonicis.

Q. 1. *Quid, et quot sint horae canonicae; quive ad eas teneantur?*

R. Sunt Dei laudes a sacris Canonibus singulis diebus, ac certis horis assignatae; dicuntur etiam *officium divinum*; quia Dei laus. Sunt septem: *matutinum* cum *laudibus*: *prima*: *tertia*: *sexta*: *nona*: *vesperae*: *completorium*. Tenentur Beneficiarii, Clerici in sacris, Religiosi professi.

Q. 2. *Quomodo teneantur ad horas Beneficiarii?*

R. Tenentur a die, quo percipiunt fructus, non quo confertur beneficium. Qui totum officium omittit non facit fructus: qui matutinum cum laudibus, medietatem fructuum restituat: et sic in aliis horis, proportione servata: et restituat Ecclesiae sui tituli, vel pauperibus. Onus restitutionis incipit post 6. menses ab obtento beneficio: et si hoc sit curatum, pro toto officio tertiam partem restituat, duabus sibi retentis pro aliis curae oneribus ex *Later. V.*

Q. 3. *Quomodo teneantur ad horas Clerici in Sacris?*

R. Si non sint beneficiati, tenentur sub gravi, licet restitutioni non subjaceant: at nocturnum ab Episcopo in ordinatione non videtur esse de praecepto: ac si non specificatur, nocturnum intelligitur de festo, vel de feria prout erit illius diei Officium.

Q. 4. *Quomodo teneantur ad horas Religiosi Professi?*

R. Modo sint solemniter professi, etiam Moniales tenentur sub gravi tum in Choro, tum privatim; ex Pio V. et Clemente VIII. Excipiuntur Equites Melitenses, di *Malta*, qui licet veri Religiosi, non tenentur ad horas, sed ad militiam.

Q. 5. *Quomodo recitandum sit divinum Officium?*

R. 1. *Attente*, sive ad verba, sive ad sensum, sive ad Deum. 2. *Clare*, ut non corrumpatur sensus: secus est grave in parte notabili; et Beneficiatus restituere tenetur. 3. *Integre*; et qui unum longiorem omittit Psalmum, graviter peccat. 4. *Devote*, sine voluntaria distractione: et permittuntur, quae compatibilia sunt cum attentione.

Q. 6. *Quo tempore, et ordine officium sit dicendum?*

R. A media ad mediam noctem est obligatio. Prius matutinum, postea prima, etc. dicenda. Inversio temporis, ac ordinis, ut mane Completorium, ac vespere matutinum sine causa est veniale; secus culpa vacat. Non satisfacit qui voluntarie unum pro alio recitet: secus si involuntarie. Missam etsi choralem, ante matutinum celebrare culpa non est, nec venialis si justa de causa; quia plus ordinis est inter horas ipsas, quam inter horas, ac Missam.

Q. 7. *Quae causae ab officio recitando excusent?*

R. 1. Caecitas. 2. Gravis infirmitas. 3. Caren-

tia Breviarii. 4. Dispensatio, quae fieri valet a Praelatis, etiam Regularibus. 5. Abbatissa dispensare nequit cum Moniali, quia caret jurisditione spirituali.

ART. 2.

De beneficiis Ecclesiasticis.

Q. 1. *Quid, et quotuplex sit Beneficium?*

R. Est jus perpetuum ab Ecclesia institutum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiae ob officium spirituale: et a solo Papa, vel Episcopo institui valet. Dividitur. 1. In *simplex*, cui non nectitur cura Animarum; et *curatum*, cui nectitur. 2. *Incompatibile*, quod cum alio jungi valet; et *incompatibile*, quod secus.

Q. 2. *Quotupliciter acquiratur Beneficium?*

R. Tripliciter. 1. *Libera collatione.* Si Episcopus conferre neglexerit per 6. menses, devolvetur ad proximum Superiorem, et gradatim ad Papam. 2. *Canonica electione*: et requiritur ut Electores sint in Sacris, ut pars major consentiat, ut electio confirmetur. 3. *Resignatione*, vel *permutatione*, ut infra: at qui triennio bona fide possederit; turbari nequit, etsi constabit defecisse justum titulum.

Q. 3. *Quid sit resignatio Beneficii?*

R. Est dimissio Beneficii coram Papa, vel Episcopo. Duplex est: *Absoluta*, si simpliciter fiat: *conditionata*, si fiat, ut Beneficium alteri conferatur determinato; vel ipsi resignanti aliud Beneficium, vel pensio detur: ad conditionatam Papa requiritur.

Q. 4. *Quid sit permutatio Beneficii?*

R. Est idem, ac resignatio conditionata, *ut su-*

pra. Duplex est: *simplex*, uti resignatio conditionata: *mutua*, si fiat a duobus invicem, ut alterius alter beneficium habeat. Ad *simplicem* requiritur Papa, ut dictum est: ad *mutuam* sufficit Episcopus.

Q. 5. *Qui sit Beneficii capax?*

R. Qui sit 1. Legitimus. 2. Tonsuratus. 3. Non censuratus. 4. Non irregularis. 5. Ætatis canonicae: secus seclusa dispensatione, irritum est Beneficium. Illegitimus, quoad ordines minores, et beneficium simplex, dispensari valet ab Episcopo; a solo Papa quoad ordines majores, et beneficium curatum. Adeptus beneficium curatum, debet intra annum fieri sacerdos: secus ipso facto beneficio privatur.

Q. 6. *An quis habere valeat plura simul beneficia?*

R. Quoad *simplicia*, valet. Quoad *curata* tunc valet, cum sunt compatibilia, idest ut satisfieri possit plurium oneribus, et ex Papae dispensatione. Porro *simplex*, ex causa conferri valet digno, digniori relicto; secus *curatum*, juxta canones.

Q. 7. *Quid sit pensio: et quando ea, et beneficium amittantur?*

R. Pensio est jus percipiendi fructus aliquos ex alterius beneficio. Tribui valet laicis ob aliquod meritum; et Clericis cum opere officii parvi, nisi teneantur ad horas. Pensio, et beneficium amittuntur 1. Morte, resignatione, degradatione, ac Judicis sententia 2. Religiosa professione, ac matrimonio. 3. Delicto haeresis, schismatis, laesae majestatis, etc.

ART. 3.

De Censuris.

Q. 1. *Quid, et quotuplex sit Censura?*

R. Est poena privans Fidelem contumacem Ecclesiae bonis, ut resipiscat. Alia est *a jure*, alia *ab homine*, alia est *latae sententiae*, quae statim incurritur, culpa patrata, alia est *ferendae sententiae*, quae post Judicis sententiam. Triplex est *excommunicatio*, *suspensio*, *interdictum*.

Q. 2. *Quot requirantur ad censuram, et quae ab ea excusant?*

R. Requiritur culpa gravis; et trina monitio; vel una pro tribus: et si culpa constet in foro fori, valet censura sine monitione. Excusat. 1. *Defectus causae*, seu Innocentia. 2. *Defectus contumaciae*, seu ignorantia censurae. 3. *Impotentia evadendi* causam censurae. 4. *Metus gravis* in iis, quae cohonestari valent. 5. *Appellatio*, si censura sit conditionata, et nondum contracta.

Q. 3. *Qui absolvere valent a censuris, et quo ritu?*

R. In mortis articulo, vel periculo quilibet Sacerdos: *Trid.* extra periculum, si non sint reservatae, quilibet Confessarius: secus vel ipse reservans, vel successor, vel delegatus. Si censurae sint Papales, et vel sint occultae, vel difficilis sit ad Papam accessus, Episcopi absolvere valent. Ritus absolvendi; a *publicis*, si non praescribitur a Superiore; a Rituali praescriptus est: ab occultis est: *Ego te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, etc.*

Q. 4. *Quid sit monitorium, et quae ad illud pertineant?*

R. Est mandatum, quo sub poena excommunicationis jubetur relevare auctores alicujus criminis. Tenentur subditi monentis, licet Clerici, et in causa sanguinis non fiunt irregulares. Non tenentur. 1. Consanguinei ad quartum gradum. 2. Qui grave timent damnum. 3. Qui sciunt sub sigillo etiam naturali. 4. Qui sciunt ab eo, qui jam revelavit.

Excommunicatio.

Q. 5. *Quid, et quotuplex sit excommunicatio; et excomunicatus?*

R. *Excommunicatio* est censura privans fidelem Ecclesie bonis; et duplex est; *major*, quae omnibus, *minor*, quae aliquibus privat, *ut infra.*

Excommunicatus, vel est *vitandus*, ut publice declaratus; vel *toleratus*, qui secus: nunc vitandus est, vel publicus Clerici percussor, vel publice declaratus per cedulonem.

Q. 6. *Qui sint effectus majoris excommunicationis?*

R. Sunt 1. Privatio activa, et passiva Sacramentorum. 2. Privatio precum, et Sacrificiorum Ecclesiae nomine; non vero privatim. 3. Privatio assistentiae Missis, ac officiis; secus concionibus. 4. Privatio jurisditionis, si sit vitandus; hinc invalide absolvit, beneficia confert, etc: si sit toleratus, illicite tantum. 5. Privatio civilis communicationis, *ut infr.*

Q. 7. *Quae sit civilis communicatio; et qui casus in jure excepti?*

R. Est quaevis locutio, scriptio, oratio, salutatio, manducatio, contractus, ut in hoc versu: *os, orare, vale, communio, mensa negatur.* Casus excepti sunt. 1. Utilitas spiritualis vitandi. 2. Necessitas temporalis vitandi, et nostra, si in-

diligeamus. 3. Communicatio inter domesticos: conjugii usus. 4. Ignorantia censurae vitandi, ut in hoc versu; *utile*, *lex*, *humile*, *res ignorata*, *necesse*.

Q. 8. *Qui sint effectus excommunicationis minoris?*

R. Sunt 1. Privatio passiva tantum Sacramentorium. 2. Privatio passiva electionis ad beneficia. Haec minor incurritur communicatione cum vitando, quae in civilibus est venialis, in sacris mortalis: at si sit in *crimine criminoso*, ob quod quis est vitandus, est mortalis, et subjacet eidem excommunicationi vitandi, licet communicans non fiat vitandus.

Suspensio.

Q. 9. *Quid, et quotuplex sit suspensio?*

R. Est censura, qua Clerico prohibetur usus sacri ministerii. Triplex est. Ab *Officio*, si prohibeatur usus Ordinis, vel jurisditionis. *A beneficio*, si perceptio fructuum prohibeatur. Ab *utroque*, ut per se patet. Verum usus *ordinis*, ut sacrificare, ordinare, etc. est validus, sed illicitus: *jurisdictionis* vero, ut absolvere, beneficia conferre, etc. in vitando est invalidus, et illicitus; in tolerato illicitus tantum.

Q. 10. *Quae sint poenae violantis suspensionem?*

R. Violans suspensionem *a Beneficio*, fit furti reus, ac restituere debet; *ab ordine* vero, graviter peccat, et irregularitatem incurrit Papalem; uti etiam exercens actum *proprium* ordinis, quem non habet. Actus proprius ordinis est; qui fieri nequit a Laico, ut in Subdiacono Missae assistere cum manipulo. Hinc multi docent, hanc suspensionem, et irregularitatem incurri tantum ab illis, qui sunt in Sacris.

Interdictum.

Q. 11. *Quid, et quotuplex sit interdictum?*
R. Est censura, qua certis personis, ac locis prohibentur Divina officia, quaedam Sacramenta, et sepultura. Triplex est; *locale*, si locum afficit; *personale*, si personam; *mixtum*, si utrumque. At interdicto populo, non includitur Clerus; et in hoc non includuntur regulares; est communis ex illo juris: *odia restringi, favores convenit ampliari.*

Q. 12. *Quae prohibeantur tempore interdicti?*
R. Absolute ministratio ordinis, Extremae unctionis, eucharistiae, viatico excepto. Alia sacramenta, et divina officia permittuntur personis, et locis non specialiter interdictis, sed januis clausis, submissa voce, non pulsatis campanis, et exclusis nominatim interdictis.

Q. 13. *Quo sensu sepultura tempore interdicti prohibeatur?*
R. Personis specialiter interdictis absolute prohibetur; aliis permittitur in Ecclesiis non specialiter interdictis. 2. Clerici non nominatim interdicti, nec violatores interdicti sepeliri valent in coemeterio Ecclesiae interdictae sine rumore.

Q. 14. *Quae sint poenae violantium interdictum?*
R. Si Laici sint graviter peccant. Si Clerici vel personale, vel locale violantes per actum proprium ordinis, Papalem irregularitatem incurrunt. Regulares vero non servantes interdictum Ecclesiae Catedralis, vel Parochialis, ipso facto excommunicantur.

Q. 15. *Quot sint poenae canonice?*
R. Sunt septem: *excommunicatio, suspensio,*

interdictum, ut supra: *irregularitas* ex delicto, quae poena delicti est ut infr. *degradatio*, *depositio*, *cessatio a Divinis* de quibus nunc: et ideo.

Q. 16. *Quid sit degradatio?*

R. Est *realis* privatio Clericatus, ejusque officiorum. Dicitur *realis*, quia fit rasione tonsurae; detractione vestium sacrarum, quibus induitur degradandus; et traditione Judici saeculari, itaut non maneat Clericus, non gaudeat privilegiis; et uti laicus puniri valeat.

Q. 17. *Quid sit depositio, quidve cessatio a Divinis?*

R. Depositio est privatio *verbalis* officiorum Clericatus, itaut quis maneat Clericus, et privilegiis gaudeat. Cessatio a divinis est prohibitio rerum divinarum sine interdicto, itaut Clericus exercens actum ordinis, peccat graviter; at non fit irregularis, quia non violat censuram.

ART. 4.

De irregularitatibus.

Q. 1. *Quid, et quotuplex sit irregularitas?*

R. Est inhabilitas ad ordines suscipiendos, et exercendos. Differt a censura, quae infligitur ob culpam; illa vero etiam sine culpa, ut in eo, qui coecus nascitur. Vel est *totalis*, si ad omnia sacra munia inhabilitat: vel *partialis*, si ad aliqua, ut carentia pollicis ad Missam, non ad cofessiones. Item vel est ex delicto, vel ex defectu, ut inf.

Q. 2. *Qui sint irregularitatis effectus?*

R. Sunt 1. Illicita non invalida Ordinum susceptio, ac functio; tonsura inclusa. 2. Illicita, et invalida Beneficii collatio irregulari. At non amit-

titur beneficium ante irregularitatem collatum, modo qui postea fit irregularis, recitet horas, et alia faciat per alium.

Q. 3. *Quae sint paenae violantis irregularitatem?*

R. Ob id solum non incurrit novam irregularitatem. Si vero pluries efficit opus idem, vel plura irregularitati subjecta, v. g. pluries violat censuram, vel mutilet, toties novas incurrit irregularitates, in petenda dispensatione aperiendas. Irregularis valet Sacramenta suscipere ordine dempto, ac facere, quae laicis competunt.

Q. 4. *Quomodo cesset irregularitas; et qui dispensare valeat.*

R. 1. Quae sit ex defectu amovibili, ut aetatis, scientiae, etc. cessat cessante defectu. Quae vero ex defectu inamovibili, et ex delicto cessat dispensatione. 2. Papa dispensat in omnibus, ex defectu, et ex delicto. Episcopus vero in omnibus ex delicto occulto, homicidio dempto: item ex defeetu natalium, quoad ordines minores, et beneficia simplicia. 3. Religiosa professio tollit irregularitatem ex defectu natalium, quoad omnes ordines, non vero quoad dignitates, et praelaturas.

Q. 5. *Quot sint irregularitates ex defectu?*

R. Sunt octo; ut ex defectu animi, corporis etc. ut sequitur

I. Ex *defectu animi*, sunt irregulares carentes usu rationis: illiterati; neophiti, idest recenter conversi ad fidem etc.

II. Ex *defectu corporis* sunt; carentes indice, pollice, oculo sinistro; claudi non valentes stare sine baculo; deformes horrorem incutientes, etc.

III. Ex *defectu natalium* sunt omnes illegitimi; non vero, qui ex invalido matrimonio, bona fide contracto nati sunt.

IV. Ex *defectu famae* sunt qui vel a jure, seu a Judice; vel a crimine publico, cui nectitur infamia, infames declarantur.

V. Ex *defectu aetatis* sunt, qui non habent canonicam aetatem.

VI. Ex *defectu lenitatis* sunt, qui proxime ad justam necem, vel mutilationem concurrunt, ut Judices, scribae, executores, etc. Secus, qui juste se defendunt, vel adjuvando infirmum hic moritur.

VII. Ex *defectu Sacramenti* sunt; Bigami: et bigamia triplex, *vera*, idest matrimonium cum duabus successive: *interpretativa*, idest matrimonium cum corrupta: *similitudinaria*, ut matrimonium post votum castitatis solemne.

VIII. Ex *defectu libertatis* sunt mancipia, nisi a suis dominis licentiam habeant: item Tutores, et curatores nisi munus abjiciant.

Q. 6. *Quot sint irregularitates ex delicto?*

R. Sunt octo, memoriae gratia in hisce versiculis comprehensae;

Haereticus, baptismum iterans, mutilans, homicida;
Famosus violans censuras, unde ligatur.
Improbe suscipiens, ac tractans ordinis acta

I. *Ex delicto haeresis* sunt, haeretici etiam occulti, eorumque filii, ac nepotes, item eorum receptatores, ac fautores prout haeretici sunt.

II. *Ex delicto iterati baptismi* sunt; scienter rebaptizantes, ac rebaptizati; non vero infantes, et qui eos in dubio conditionate baptizant.

III. Ex *delicto mutilationis* sunt; qui injuste mutilant: nam qui juste sunt ex defectu lenitatis, ut *sup. Q.* 5 *num.* 6: secus qui juste se defendant.

IV. Ex *delicto homicidii* sunt, qui injuste oc-

cidunt; nam si juste, sunt ex defectu lenitatis: includitur abortus; et utrumque etiam in causa; et cooperantes.

V. *Ex delicto infami* sunt; qui scelus patrant, cui a jure nectitur infamia, ut simonia, sodomia, concubinatus, etc. si nullimode celari valeant.

VI. *Ex delicto violatae censurae* sunt; qui aliqua censura ligati, vel in loco interdicto suscipiunt, vel exercent ordines actu proprio.

VII. *Ex delicto improbae susceptionis* sunt; qui furtive, vel invita uxore suscipiunt ordines; et insuper, *ut num.* 6.

VIII. *Ex delicto improbae functionis ordinis* sunt; qui ordinem, quo carent, exercent; et insuper, *ut num.* 6.

SPECULI THEOLOGIÆ CORDIS.

PARS VI.

DE SACRAMENTIS.

Instituti ratione spectata, sat abbunde in Theologia mentis de Sacramentis in genere, ac in specie dictum est. De poenitentia tamen plura, plurima de Matrimonio ibi desiderantur, quae in Theologia cordis tractari solent. De his ergo fusior hic erit sermo. Itaque.

CAP. I.

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

Sacramenti Poenitentiae natura, materia, forma, Minister, subjectum potissimum investiganda sunt, et quae ad illam revocari debent.

ART. I.

De natura, materia, et forma Poenitentiae.

Q. 1. *Quid sit Poenitentia, quidve Poenitentiae Sacramentum?*

R. Poenitentia, et poenitere idem sunt, ac poenam tenere, seu sentire. Duplex est ut *Virtus*, et est animi dolor de peccato commisso,

cum proposito non peccandi de caetero: ut *Sacramentum*, et est ritus sensibilis a Christo institutus ad delenda peccata post baptismum.

Q. 2. *An sit in Ecclesia Poenitentiae Sacramentum, et potestas dimittendi peccata?*

R. Est id de fide contra Novatores. Nam Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis...* Haec autem potestas constare nequit sine signo sensibili, quod est Sacramentum. Et quoniam Christus indefinite ait; *quorum remiseritis*, etc. hinc nullum est peccatum irremisibile.

Q. 3. *An poenitentia tum ut virtus, tum ut Sacramentum sit necessaria?*

R. Id est de fide. Nam, ut *virtus* semper necessaria fuit necessitate medii ex Luc. 15. *Nisi poenitentiam egeritis; peribitis.* Ut vero Sacramentum, est etiam *medii* vel *in re* si recipi valet, vel *in voto*. Trid. sess 18: et sufficit votum implicitum in proposito non peccandi, et praecepta servandi.

Q. 4. *Qui sint effectus Sacramenti poenitentiae?*

R. Sunt 1. Remissio omnium peccatorum; nam unum sine altero remitti repugnat; quia sic homo foret amicus, et inimicus Dei. 2. Remissio poenae aeternae: nam gratia remissiva facit hominem Dei filium, et haeredem, quod esse nequit sine remissione poenae aeternae. 3. Reviviscentia meritorum: nam Ezechiel. 18. *Impietas impio converso non nocebit*: noceret autem si merita non reviviscerent.

Q. 5. *Quid, et quotuplex sit materia Sacramenti Poenitentiae?*

R. Est pars signi sensibilis, quo fit Sacramentum. Vulgo duplex est; *remota*, idest peccata; et *proxima*, idest actus poenitentis, qui sunt *contritio*, *confessio*, *satisfactio*. Remota, vel est ne-

cessaria sufficiens, ut mortalia certa; vel *necessaria non sufficiens*, ut mortalia dubia; vel *sufficiens non necessaria*, ut venialia certa; vel nec *sufficiens*, nec *necessaria*, ut venialia dubia.

Q. 6. *Quid, et quotuplex sit forma Sacramenti Poenitentiae?*

R. Sunt verba absolutionis; *Ego te absolvo a peccatis tuis* etc. Trid. Verba *absolvo te*, vel *absolvo a peccatis tuis*, sunt forma valida, sed illicita. At forma *Dominus* te absolvat, est invalida; quia dicens Christus; *Quorum remiseritis*, etc. voluit ut ipse Minister absolveret.

De cordis contritione.

Q. 7. *Quid sit contritio, quidve propositum?*

R. Contritio est animi dolor, ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de caetero; *Trid.* Propositum est firma voluntas non amplius peccandi; et probabilius explicitum esse debet, licet implicite sit in vero dolore. Utrumque praecedere debet absolutionem; secus forma non caderet in materiam essentialem.

Q. 8. *Quotuplex sit contritio, et quae conditiones ejus?*

R. Duplex est; *perfecta*, quae oritur ex amore Dei super omnia; *imperfecta*, quae ex timore poenarum, quaeve attritio vocatur. Utriusque conditiones sint 1. *Interna*, ex motu cordis. 2. *Supernaturalis*, a gratia excitata. 3. *Summa*, plus de peccato, quam de alio quovis malo. 4. *Universalis*, de omnibus peccatis. 5. *Cum spe veniae.* Idem de proposito sit.

Q. 9. *Quae sit vis contritionis sive perfectae, sive imperfectae?*

R. *Perfecta* justificat* sine Sacramento *in re*, modo sit *in voto*; *imperfecta* vero in Sacramento *in re* tantum, cujus gratia attritus fit contritus, *Trid.* An requiratur in attritione Dei amor initialis, controvertitur. Sufficere videtur *amor spei*, qui est in timore gehennae: nam qui timet separari a Deo, et in ipso sperat, jam Deum diligere incipit.

Q. 10. *An, et quando contritio perfecta cum voto sacramenti obliget?*

R. Obligat illum, qui scit, vel dubitat se esse in mortali; et quidem tum jure naturali; quia consulere debet animae suae; tum jure Divino, *Nisi poenitentiam egeritis . . peribitis.* Luc. 15. Obligat vero 1. Cum confessio fieri nequeat, vel non expediat, ut infra. 2. Ne diu differatur: Eccl. 5. *Ne tardes converti.* Quae dilatio sit mortalis, incertum est; at videtur esse octo dierum.

De oris confessione.

Q. 1. *Quid sit confessio sacramentalis, an, et quando urgeat?*

R. *Est accusatio peccatorum legitimo Ministro, ad veniam obtinendam virtute clavium.* Virtus clavium est potestas absolvendi. Obligat, si fieri valeat, ac expediat, qui scit, vel dubitat, se esse in mortali: nam poenitentia a Christo praescripta, est sacramentalis *in re.* Obligat porro 1. Ne diu differatur, ut supr. *Q.* 10. 2. In Eucharistia sumenda; Trid. In aliis recipiendis Sacramentis, et omnibus ministrandis sufficit contritio. 3. Semel in anno, Ecclesiae praecepto.

Q. 12. *Si contritio justificat, ut sup. Q.* 9. *cur confessio urgeat?*

R. Urget ob ejus votum in contritione inclusum, secus illusorium foret; et ob praeceptum divinum. Si vere contritus mutet animum, et non confiteatur, graviter peccat, at peccata remissa non redeunt. Sacramentum a vere contrito receptum auget gratiam sanctificantem.

Q. 13. *Quid, et quotuplex sit materia confessionis?*

R. Sunt peccata. Duplex est; *necessaria*, idest mortalia certa, et dubia: et *libera*, idest venialia certa. At vide sup. *Q.* 5. Verum mortalia, quoad species, circumstantias, et numerum aperienda sunt. Venialia omitti valent, modo quis aliam materiam exhibeat.

Q. 14. *Quotuplicis generis sint circumstantiae peccatorum, et quae sint aperiendae?*

R. Suut duplicis generis; *mutantes* speciem, ut si addant novam actui malitiam, ut si furto addatur circumstantia loci sacri: et *alterantes* eamdem speciem, ut si simplici furto augeatur, vel minuatur quantitas. Priores aperiendae sunt, ex Trid. Posteriores tunc solum, cum sunt notabiles, ex *Catechis.*

Q. 15. *Quomodo quis confiteri debeat dubia; et ab eis absolvi?*

R. Dubitans sub dubio confiteri debet, ac sub conditione absolvi: at si unum certum intermisceat, etsi alias rite confessum, simpliciter absolvatur. Si postea constet non fecisse, non fuisse grave, confessum fuisse, ad nil tenetur: secus tenetur confiteri ut certa. Qui nesciens numerum, dicat, ut decies circiter; si postea constet fuisse *minus*, ad nil tenetur; si plus, ad id tenetur.

Q. 16. *Quid si poenitens mentiatur in confessione?*

R. *Si scienter* confiteatur dubia ut certa, et vicissim, vel augeat, aut minuat numerum; vel interrogatus mentiatur in materia necessaria, sacrilege confitetur: secus si ignoranter. At inculpate minuens mortalia, errore detecto, tenetur ad omissa: si vero auxit ad nil tenetur.

Q. 17. *Quot sint conditiones sacramentalis confessionis?*

R. Sexdecim recensentur; *simplex*, *pura*, *nuda*, *humilis*, *verecunda* etc. at tres sunt de praecepto, *lacrymabilis*, *Fidelis*, *integra*, idest cum vero dolore, sine voluntario mendacio, non aucto, vel diminuto scienter numero.

Q. 18. *Quid, et quotuplex sit confessionis integritas?*

R. *Integritas* est debita peccatorum accusatio. Duplex est; *materialis*, si omnia peccata, *Formalis*, si quae tantum expediant, patefiant. Prior est necessaria, cum nullum grave malum timeatur. Posterior sufficit, cum probabiliter timetur: nam Christus jussit confessionem rationi consonam.

Q. 19. *Quando sufficiat integritas formalis, et confessio dimidiari valeat?*

R. Quando ex manifestatione alicujus, vel aliquorum peccatorum sit probabile periculum solicitationis, fractionis sigilli, infamiae, contagii, moriendi sine absolutione, gravis molestiae infirmo, etc. Quinimo tempore belli, naufragii, etc. satis est, ut plures simul in genere confiteantur, et Confessarius. *Ego vos absolvo a peccatis vestris* etc. At requiritur ut urgeat confessio, et tempus desit.

Q, 20. *An confessio fieri valeat per Epistolam, et interpretem?*

R. Negative per *Epistolam*, et sic rescribere

absolutionem : nam confessio fieri debet sacerdoti praesenti et absolventi, contrarium damnavit Clem. 8. At licet epistolam mittere, ac post poenitenti praesenti, ac in genere peccata scripta confitenti absolutionem conferre. Per *interpretem* vero, licet nec humanum, nec divinum jus jubeat, ut Theologi docent : jure naturali tamen tenetur, qui est in mortali, ac perdifficilem experiatur contritionem ; quia salus est famae praeferenda.

Q. 21. *An liceat, et aliquando teneatur paenitens revelare complicem ?*

R. Si urgeat gravis utilitas paenitentis, vel publicum malum avertendum, vel confessionis integritas, licet, ac tenetur : nam in hisce casibus complex putatur cedere juri suo. Ob solam complicis correptionem gravis est culpa, et confessarius tenens fieri posse, denunciandus est, *Bened.* XIV. *Const. superna.* Si paenitens valeat differre confessionem, vel alium adire Confessarium, ad id tenetur. Si simplicitate revelet, moneat Confessarius.

Q. 22. *Quando confessio sit iterenda ?*

R. Quoties constet, vel rationabiliter quis dubitet, fuisse nullam vel sacrilegam. Est nulla cum ignoranter desit pars essentialis, idest cum fiat Sacerdoti non habenti jurisditionem, vel sine sufficienti dolore. Est sacrilega, cum scienter desit pars essentialis, vel etiam integritas, ut *sup. Q.* 18. Si plures fuerunt invalidae, vel sacrilegae, omnes iterandae : secus sequentes erunt sacrilegae.

Q. 23. *An venialia remitti valeant absque confessione ?*

R. Affirmative, tum per Sacramenta vivorum ; tum per Sacramentalia, quae sunt aqua benedicta, Pater noster, confiteor, panis benedictus,

eleemosina, benedictio Saeerdotis, quae indicantur hoc versu: *Orans*, *tinctus*, *edens*, *confessus*, *dans*, *benedicens*. Remittuntur vero ex *D. Thom.* mediate, quatenus excitant charitatem, et dolorem.

Q. 24. *Quid, et quotuplex sit? et qualis esse debeat satisfactio?*

R. Est compensatio Dei offensae. Duplex est: *sacramentalis*, quae injungitur a Confessario in Sacramento: non *sacramentalis*, quae sponte fit ab homine. Proportionari debet crimiuibus, ac statui paenitentis, ne Confessarius particeps fiat criminum; ex *Trid. sess.* 14.

Q. 25. *An satisactio sub gravi obliget? ac per alium impleri possit?*

R. Graviter obligat, tum Confessarium, ut injungat, tum paenitentem, ut acceptet, ac impleat: nam Sacramenti pars est. Valet vero paenitens aliam petere, si non congruat aliqua suo statui. Hinc moribundis nulla, vel valde parva: infirmis parva, vel conditionata, si convalescant, injungitur. De licentia Confessarii per alium fieri valet: nam sic Confessarius agit ut Judex, et petitio poenitentis est formale satisfactionis.

Q. 26. *Quando satisfactio sit implenda?*

R. Vel tempore a Confessario statuto; vel eodem die si fieri possit. Item tum ante, tum post absolutionem de judicio Confessarii. At graviter peccat, qui sine causa non implet ante aliam confessionem, vel nimis differt judicio prudentum.

Q. 27. *Quomodo implenda sit satisfactio?*

R. Modus, ut stans, sedens, genuflexus non est de essentia: secus si ex gravi motivo injungatur a Confessario. Satisfit in mortali, sicuti jejunio, Missae, etc. licet sine remissione poenae

temporalis, quia opus mortuum. In aliam *diversi generis*, ut jejunium in eleemosinam commutari nequit ab ipso paenitente : secus *ejusdem generis*, ut quinque Pater in decem.

Q. 28. *An satisfactio commutari valeat ab eodem, vel alio Confessario?*

R. Affirmative. At ab eodem intra, et extra confessiouem petita loquendi licentia : ab alio vero nonnisi in confessione, repetitis peccatis, pro quibus injuncta fuerat. Si quaeratur, cur votum commutari valeat in melius diversi generis ab ipso vovente : non vero sic satisfactio a poenitente?

R. Quia votum fit a vovente, satisfactio injungitur a Confessario.

Q. 29. *An satisfactio esse valeat de opere interno; et an aliunde praecepto?*

R. Affirm. Nam *internum*, ut meditatio fit sensibile jussu Confessarii; uti dolor confessione, aliisque signis: praeceptum fit novum praeceptum, ac novae paenae subjectum, si violetur.

Q. 30. *Quid si Confessarius oblitus fuerit injungere satisfactionem?*

R. Injungere valet prima opportunitate, obtenta loquendi venia ob sigillum. At si a paenitente petatur, ipsa petitio licentia est: In alia vero confessione, libere valet Confessarius oblitam injungere; *comm.*

ART. 2.

De Ministro Sacramenti Poenitentiae.

Q. 1. *Quis, et quotuplex sit Minister Sacramenti Poenitentiae?*

R. Est Sacerdos jurisditione praeditus. Duplex est *ordinarius*, qui curam habet animarum, et

cui jure competit juriedictio; ut Praelati saeculares, ac regulares. *Delegatus*, cui ab ordinario confertur, modo huic non prohibeatur speciali jure, uti prohibetur Parochis, Guardianis, etc. Hinc requiritur in Ministro potestas *ordinis*, quae est a Christo; et *jurisdictionis*, quae ab Ecclesia.

Q. 2. *Quae sint dotes, quaeve munera Confessarii?*

R. Dotes sunt tres. 1. *Probitus* ut aedificet; si sit in mortali, contritio sufficit ut confessiones audiat; *Wigandt*. 2. *Scientia*; sufficit *mediocris*, quia eminens est in paucis. 3. *Prudentia*, ut moneat, et injungat. *Munera* tria sunt; *Judicis*, ut solvat, et liget; *Doctoris*, ut instruat; *Medici*, ut remedia praescribat. Ad Confessarium pertinet etiam reservatio, sigillum, etc. ut infra.

De Jurisdictione.

Q. 3. *Quid, et qnotuplex sit jurisdictio?*

R. Generatim est *jus in subditos*. In Confessario est *jus dicendi sententiam in poenitentes*. Duplex est: *ordinaria*, quae nectitur curae animarum: *delegata*, quae confertur ab ordinario. Ordinarius delegat, quia proprios subditos, cui vult, committit: *Delegatus* subdelegare nequit; quia proprios non habet subditos, quos committere possit.

Q. 4. *Quibus, et a quibus delegari possit jurisdictio?*

R. A Papa Sacerdotibus, et pro cunctis fidelibus. Ab Episcopo Sacerdotibus, et pro fidelibus suae Diocesis. Quoad Regulares, Episcopus approbat, et Papa dat jurisdictionem; quia exempti. A Praelato Regulari, qui Confessarios in-

stituere valet, Sacerdotibus, et pro subditis suis.

Q. 5. *Quis Confessario Papae jurisdictionem conferat?*

R. Cum Papa sit soli Christo subditus; alii dicunt a Christo immediate conferri: alii docent, quod Papa ut superior confert jurisdictionem, et ut peccator se subjicit Confessario.

Q. 6. *Quotupliciter acquiratur jurisdictio?*

R. Quadrupliciter. 1. Per officium; cui nectitur, ut animarum cura. 2. Per delegationem, ut Confessarii institutio. 3. Per periculum mortis, in quo deficiente Confessario, simplex Sacerdos jurisdictionem acquirit. 4. Per *errorem communem* simul, et *titulum coloratum*; ut si vulgo quis ut Confessarius habeatur, quia Parochus, vel Delegatus, tunc uterque si sit occulte suspensus, valide quis ei confitetur, quia tunc Ecclesia dat jurisdictionem.

Q. 7. *An jurisdictio unius Dioecesis exerceri valet in alia?*

R. Valet si sit *ordinaria*: hinc Parochus suos Parochianos, Praelatus Regularis suos subditos ubique *audire*, ac absolvere valet. Secus vero si sit *Delegata*, ut simplici Confessario. *Comm.*

Q. 8. *An approbatus pro saecularibus sit etiam pro Monialibus?*

R. Negative; sed requiritur specialis approbatio. Pro Monialibus subjectis Regularibus, Superior eligit Confessarium, et Episcopus approbat. Hinc Moniales *exemptae* tenentur tantum casibus, si quos Episcopus pro ipsis reservet: *subjecte* vero etiam casibus synodalibus.

De reservatione.

Q. 9. *Quid, et quotuplex sit reservatio?*

R. Est limitatio jurisdictionis in Confessario. Hinc incurritur etiam a nescientibus illam, quia afficit Confessarium. Duplex est; cum censura, ac sine censura. Quia casus Papales reservantur ob censuram, non incurruntur ab eam ignorantibus. Quia Episcopales reservantur ob peccatum, semper incurruntur, licet ob ignorantiam non incurratur censura.

Q. 10. *Quot requirantur, ut casus sit reservatus?*

R. Tria: peccatum *externum*, *mortale*, *consumatum*. Hinc stupro reservato, non sufficit solus conatus, sed requiritur fractio sygilli: reservato adulterio, requiritur, ut sit cum seminis effusione: etc.

Q. 11. *Quid in dubio reservationis?*

R. Dubium est suspensio mentis inter opposita, ut *an sit*, vel *non sit*. Duplex est; *juris* ut an peccatum hoc sit reservatum: *facti*, ut an hoc peccatum sit certum, vel grave, vel consumatum, etc. In dubio juris, non facti est reservatum; quia Ecclesia non reservat peccata dubia.

Q. 12. *An, vel sola raservata, relictis aliis; vel vicissim absolvi possint?*

R. Negative; nam confessionis integritas est juris divini. Hinc, nec habens facultatem in reservata, valet ea tantum absolvere, ac mittere poenitentem ad simplicem Confessarium pro non reservatis; nec iste a solis non reservatis, et ad alium mittere poenitentem pro reservatis.

Q. 13. *Qui valeant in periculo mortis a reservatis absolvere?*

R. Deficiente Confessario, quilibet Sacerdos valet a reservatis, ac censuris absolvere. At si peccata sint *sine censura*, si convalescat absolutus ad nil tenetur; si vero cum *censura*, tenetur se sistere facultatem habenti, non ut iterum absolvatur, sed ut Ecclesiae pareat sub poena incurrendi easdem censuras. Sic in jure.

Q. 14. *Qui valeant extra mortis periculum a reservatis absolvere?*

R. Valet reservans, vel successor, vel delegatus; et si casus sint Papales simul, et Episcopales, utraque facultas requiritur. Verum Episcopi ex *Cap. liceat*, absolvere valent. 1. Ab omnibus Papalibus occultis, haeresi occulta excepta, in *Bulla coenae*. 2. Ab omnibus irregularitatibus occultis dispensare, ea excepta, quae oritur ex homicidio. 3. A casibus, et irregularitatibus Papalibus etiam non occultis, quoad personas impeditas adire Romam, ut mulieres, senes, Filii, servi, et qui sint gravi damno sibi, vel aliis.

Q. 15. *Quid valeant Confessarii Regulares in reservata?*

R. Intra Italiam extra Urbem, ex privilegiis, absolvere valent ab omnibus casibus Papalibus, modo non sint ab Episcopo etiam expresse reservati; exceptis casibus Bullae coenae, et sex aliis Clementinis a Clem. VIII. qui sunt. 1. Violatio immunitatis Ecclesiasticae. 2. Violatio clausurae Monialium ob malum finem. 3. Simonia realis circa ordinem, Religionem, Beneficia. 4. Violenta manuum injectio in Clericum. 5. Confidentia Beneficialis. 6. Duellum, et ejus provocatio.

Q. 16. *An aliquando simplex confessarius indirecte a reservatis absolvere valeat?*

R. Plerique negant dicentes, quod si urgeat

communio, sufficit contritio. At Natal Alex. Concina, aliique affirmant, itaut si quis ob grave damnum vitandum celebrare, vel communicare debeat, quin adire valeat Confessarium reservatorum, valeat simplex Confessarius indirecte illum a reservatis absolvere, cum onere adeundi facultatem habentem: nam confessio communioni praemittenda est *juris Divini*, reservatio *juris Ecclesiastici*; et praesumitur Ecclesiae facultas.

Q. 17. *Suntne et alii casus de reservatione?*

R. Sunt. Qui brevitatis ergo, ut sequitur resolvuntur.

I. Reservata in Dioecesi poenitentis, et non Confessarii simplicis absolvi possunt; non vero e contra: nam reservatio afficit Confessarium.

II. Reservatio Episcopi, non vero Synodi, illo mortuo, vel amoto expirat: at facultas ab eo data absolvendi reservata non expirat.

III. Si obtenta licentia fuit *generalis*, etiam reservata post illam commissa possunt absolvi: secus si fuerit *specialis*, seu pro auditis tantum.

IV. Qui confitetur reservata, et aliquorum obliviscatur, ab omnibus absolvitur: secus si nullum reservatum confiteatur.

V. Si simplex Confessarius inadvertenter a reservatis absolvat, absotutio valet, et ad nil tenetur: at num tollatur reservatio confessione invalida, dubium est.

VI. Si Superior Regularis petitam licentiam neget, valet Confessarius pro illa vice Regularem absolvere auctoritate Papae; sic *Clemens VIII.*

Q. 18. *Quid de Jubilaeo dicendum?*

R. Jubilaeus est Papae indultum, quo datur facultas eligendi etiam simplicem Confessarium, et huic absolvendi ab omnibus reservatis etiam Pa-

palibus ; et vota simplicia commutandi, castitatis perpetuae, ao Religionis exceptis, ad finem lucrandi plenariam indulgentiam. Etiam reservata commissa in confidentiam Jubilaei absolvuntur, modo sit animus illum lucrandi. Qui confitetur animo lucrandi ; si animum mutet, mortaliter peccat ; at reservata absoluta, et vota commutata non reviviscunt.

De sigillo.

Q. 19. *Quid sit sigillum confessionis?*

R. Est debitum non revelandi peccata poenitentis ; et ideo dicitur Sacramentale. Differt a *naturali*, quod onus inducit fidelitatis tantum, nec obligat cum gravi damno, licet quis dicat genuflexus *confiteor Deo, et tibi*. At sigillum sacramentale inducit onus non violandi Sacramentum, et obligat cum vitae periculo etiam in Confersione nulla.

Q. 20. *Ex qua confessione oriatur sigillum?*

R. Ex ea, quae fit animo recipiendi Sacramentum, licet non recipiatur vel quia poenitens indispositus, vel quia confitetur ei, qui Confessarium se fingit. Hinc si quis simulat confessionem ut noceat Confessario, non oritur sigillum, quia caret animo recipiendi Sacramentum, et Confessarius fugere valet, ac dicere ob scandalum vitandum ; *hic venit nocere.*

Q. 21. *Quotupliciter obliget Sacramentale sigillum?*

R. Triplici jure ; *naturali*, ob fidelitatem : Divino, ob Sacramentum : *Canonico*, ob Ecclesiae praeceptum. Hinc sigilli violator tria committit sacrilegia; quia tria distincta jura rem sacram spectant.

Q. 22. *Quae sub sigillo cadant ; et qui ad illud teneantur?*

R. Quae pudorem pariunt, et odiosam reddunt confessionem, ut peccata etiam venialia, defectus scientiae, natalium, etc. qui noti non sunt. Tenentur porro Confessarius esto fictus, et laicus; interpres; qui casu, studio, vel ab aliis, qui audierunt, audiunt; et qui scripta peccata inveniunt post Confessionem.

Q. 23. *Quotupliciter frangatur sigillum confessionis?*

R. Dupliciter. *Directe*, si verbo, vel signo explicite peccata patefiant. *Indirecte*, si ex verbo, vel signo implicite arguantur. Hinc si Confessarius minis, ac censuris revelare cogatur, mortem potius subire debet. Valet tamen dicere, ac jurare se nescire; quia cogitur ut homo, et sic revera nescit, nec pejerat, nec censuram incurrit; secus si ut Confessarius revelare cogatur: nam tunc pejerat, licet censuram ob timorem effugiat.

Q. 24. *An aliquando uti valeat Confessarius notitia Confessionis?*

R. Pluries valet. 1. Extra Confessionem de licentia poenitentis, quae si urgeat graviter, ac dare nolit, absolvi nequit, Concina, Wigandt, etc. 2. In alia confessione ejusdem poenitentis, etiam sine ejus licentia, quia sigillum obligat extra Sacramentum. 3. Si quod scit ex confessione, etiam aliunde sciat. 4. Ad alios corrigendum, regendum, votum negandum, malum avertendum, concionandum modo absit suspicio revelationis. 5. Si Confessarius noverit paratum sibi venenum in calice, hostem in via, etc. valet omittere Missam, viam declinare, etc. aliam causam, vel rationem adducendo, modo sic auferat suspicionem Confessionis.

Q. 25. *An Confessarius negare valeat schedulam Confessionis?*

R. Si poenitens petat privatim, valet negare; quia ipsa petitio est licentia, ut de Confessione loquatur Confessarius: secus si petat coram aliis. Violans sigillum, si dicat id fieri posse, ut haeresis suspectus denunciandus est.

ART. 3.

De subjecto sacramenti Poenitentiae.

Q. 1. *Quodnam sit subjectum Sacramenti poenitentiae?*

R. Est homo capax recipiciendi hoc Sacramentum, idest baptizatus, usum rationis habens, rite dispositus. Dispositio consistit in discussione conscientiae, in fide, spe, charitate, dolore, etc.

Q. 2. *Quotuplex esse valeat subjectum Sacramenti Poenitentiae?*

R. Multiplex. 1. Surdus, et mutus. 2. Puer, ac rudis. 3. Doctus, et ignorans. 4. Habituatus, ac recidivus. 5. Occasionarius, et scandalosus. 6. Moribundus, ac sensibus destitutus; ut infra.

Q 3. *Quomodo se gerere debeat Confessarius cum surdis, ac mutis?*

R. Sive a nativitate, sive postea muti fuerint, ac surdi, absolvi nequeunt, nisi aliqua dent signa confessionis, ac doloris. In dubio, maxime si quis sit caecus etiam, in periculo tantum mortis conditionate absolvi valet.

Q. 4. *Quomodo se gerere debeat Confessarius cum pueris ac rudibus?*

R. Si adhibita Confessarii diligentia, sufficientem ostendunt Sacramenti cognitionem, et dolorem absolvantur. Secus differatur absolutio.

Q. 5. *Quomodo cum docto, vel ignorante sit agendum?*

R. Doctus sequens opinionem probabilem, quae ipsi probabilior videtur, absolvi debet. Ignarus, si nesciat praecipua mysteria, ut *Deum unum, Trinum, humanatum, remuneratorem*, absolvi nequit, et contrarium damnavit *Innoc. XI.* Si vero caetera nesciat, absolvi valet, modo doleat, ac discere promittat; ex *Bened. XIV.* Etsi:

Q. 6. *Quid de habituatis, ac recidibis?*

R. Habituati, seu consuetudinarii, ac recidivi sunt, qui quasi ex morali necessitate peccant, et nonnisi nomine distinguuntur ab invicem. Non sunt absolvendi, nisi vel in articulo mortis, vel in dies rarior fiat eorum casus, vel signa doloris extraordinaria exhibeant. *Comm.*

Q. 7. *Quid de occasionariis, et scandalosis?*

R. Qui sunt in occasione proxima *voluntaria*, non absolvantur, nisi ea dimissa. Qui sunt in proxima *necessaria*, non absolvantur, nisi mediis adhibitis, occasio evaserit *remota.* Scandalosi non absolvantur, nisi scandalum amoveant, et publica dent poenitentiae signa.

Q. 8. *Quid de moribundis, ac sensibus destitutis?*

R. Si absente Confessario, confiteri petierint; vel eo praesente, signa dent doloris; vel christiane vixerint; sub conditione absolvantur. Si loqui valeant, audiat quod potest Confessarius, quin sit valde molestus quaerat, si de omnibus doleant; et absolvat: at si convalescat infirmus, omissa confiteri debet; et contrarium damnavit *Alex. VII.*

APPENDIX.

DE SOLICITATIONE.

Benedictus XIV. *Constit. Sacramentum poenitentiae*, aliorum Pontificum decretis inhaerens, statuit, denunciandos esse Confessarios solicitantes, et sub gravi ad id teneri solicitatam, videntes, et ab aliis audientes, ut infra.

I. Solicitans est tum Confessarius, tum simplex Sacerdos Confessarium se fingens, non vero Clericus, vel laicus sic se fingens.

II. Persona soliicitata est femina, vel masculus; et peccatum esse debet contra sextum Decalogi praeceptum, etiam sermo turpis.

III. Tempus solicitationis est tum intra, tum extra confessionem, tum immediate ante, tum immediate post moraliter.

IV. Locus solicitationis est tum Confessionalis, tum alius ad libitum ad audiendas confessiones electus.

V. Solicitatio fiat sive praetextu confessionis, eam audire fingens; sive occasione confessionis, ex ea motivum sumens.

VI. Sive Confessarius pro seipso; sive pro alio solicitet; sive consenserit poenitens, sive non consenserit.

VII. Confessarius solicitans privatur facultate absolvendi ab hoc peccato, etiam tempore Jubilaei: secus confessio nulla erit, et ipse statim excommunicationem Papalem incurret.

VIII. At in mortis articulo, si deficiat etiam simplex Sacerdos; vel si ex ejus substitutione, ac praeferentia scandalum oriatur, aut infamia,

valet Confessarius solicitans solicitatam absolvere.

IX. Confessarius privatur etiam, sub nullitate absolutionis, et Papali excommunicatione, facultate absolvendi suum complicem in peccato turpi, licet nulla praecesserit solicitatio: at non subjacet denunciationi.

X. Quivis Confessarius, sub nullitate absolutionis, tenetur monere poenitentem, ab alio Confessario solicitatum de onere denunciandi, itaut hic absolvi nequeat, nisi prius facta denunciatione.

XI. Denunciatio facienda est a persona solicitata, et ea deficiente, a scientibus solicitationem, vel ordinario, vel cui is voluerit.

XII. Qui falso innoxium Confessarium solicitationis denunciat, gravissime peccat, et excommunicationi Papali subjacet.

CAP. II.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

Matrimonii. 1. Natura, et solemnitates. 2. Proprietates. 3. Impedimenta. 4. Licitus, et illicitus usus enucleanda sunt. Itaque.

ART. I.

Natura, et solemnitates Matrimonii.

Q. 1. *Quid sit Matrimonium; a quo; et quando institutum?*

R. Est conjunctio Maritalis viri, ac mulieris ad individuam vitae rationem instituta. A Deo institutum fuit ad humani generis propagationem, vel cum ait: *Crescite et multiplicamini*; vel cum

per Adam ait: *Relinquet homo patrem, et matrem; et adhaerebit uxori suae.*

Q. 2. *Quotupliciter spectari valeat Matrimonium?*

R. Dupliciter. 1. Ut *contractus*, et est conjunctio maritalis a Deo instituta, etc. ut supra. 2. Ut *Sacramentum*, et est eadem conjunctio prout gratiae productiva. A Christo sic instituta est, et probabilius cum ait *quod Deus conjunxit, homo non separet.*

Q. 3. *Quotuplex sit Matrimonii contractus?*

R. Triplex. 1. *Naturalis*, qui fit juxta leges naturae inclinantis ad maritalem conjunctionem. 2. *Civilis*, qui fit juxta leges Principis, ac loci. 3. *Sacer*, qui fit juxta leges Ecclesiae; et hic tantum elevatus a Christo fuit ad Sacramenti rationem.

Q. 4. *Quotuplex sit Matrimonium quoad vinculum?*

R. Triplex est. 1. *Legitimum* inter personas a lege naturae, vel Principis non impeditas. 2. *Ratum* inter Personas fideles ab Ecclesiae legibus non impeditas. *Consumatum*, quod perficitur maritali coitu.

Q. 5. *An Matrimonium sit honestum?*

R. Ita est contra Encratitas. 1. Quia Deus instituit; ut *Q.* 1. 2. Quia Christus ad rationem Sacramenti elevavit; ut *Q.* 2. 3. Quia Christus probavit assistendo Canae nuptiis. 4. Quia Cor. 7. *Qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit*; licet *qui non jungit melius facit*, ibidem.

Q. 6. *Quot sint bona matrimonii?*

R. Tria sunt: *Fides*, *proles*, *Sacramentum*. *Fides*, idest fidelitas, ne alteruter conjux cum aliis coeat. *Proles*, idest filiorum generatio. *Sacramentum*, idest Christi gratia ejusque cum Ecclesia conjunctio.

Q. 7. *Quot requirantur ad valorem Matrimonii?*

R. Apud Infideles sufficit habilitas personarum, et mutuus consensus. Apud fideles requiritur insuper, ut non dirimatur ab Ecclesia. Hinc parentum consensus ad honestatem pertinet, non ad valorem.

Q. 8. *Qualis sit oporteat in matrimonium consensus?*

R. *Absolutus*, et *externus*, idest verbis, vel signis patefactus. Nam conditionatus, ut *si convaluero*, vim tantum sponsalium habet; ac impleta conditione novus requiritur consensus. At si antequam impleatur conditio, commisceantur, intelligitur revocata conditio; *Innoc.* 3. *cap. Per nos.*

Q. 9. *Quid si nubens exterius consentiat, et interius contradicat?*

R. Ex Divo Th. Nullum est matrimonium; et simulator si vere alteri nubat, et vi compellatur ad primam, debet mortem subire potius, vel fugere; quia secus fornicator foret. At secus alii docent; quia omnes reclamare possent, se interius non consensisse, sicque conclamata foret pax, et societas.

Q. 10. *In quo consistat essentia Matrimonii?*

R. Non in coitu; nam sine eo verum fuit matrimonium Joseph, ac Mariae. Sed in *fieri* consistit in mutuo consensu; Chrisostom. in Matt. *Matrimonium non facit coitus, sed consensus; et in facto esse* consistit in vinculo; Matt. 19. *Quod Deus conjunxit, homo non separet.*

Q. 11. *An valeat matrimonium inter absentes per procuratorem?*

R. Valet; quia procurator est, qui nomine alterius agit; et *qui per alium agit per seipsum agere videtur.* At jure Canonico hae sunt conditiones.

1. Ut procurator per seipsum impleat mandatum. 2. Ut quo tempore impleat, non fuerit revocatum. 3. Ut mandatum respiciat determinatam personam. 4. Ut si mandans, antequam impleatur mandatum, fiat amens, nullum est Matrimonium.

Q. 12. *An matrimonium fidelium sit vere Sacramentum?*

R. Sic est de fide; *Trid. sess.* 7. Nam Ephes. 3. De matrimonio dicitur, *Sacramentum hoc magnum est, in Christo, et Ecclesia*; ideoque ut signum gratiae unionis Christi, et Ecclesiae verum est Sacramentum.

Q. 13. *Quae sit materia, forma, Minister Sacramenti Matrimonii?*

R. Alii docent, *materiam* esse corporum traditionem; *formam* esse verba vel signa consensus; Ministrum esse ipsos contrahentes. Alii docent materiam esse corporum traditionem; *formam* verba Sacerdotis *Ego vos conjungo*, etc. *Ministrum* Sacerdotem ipsum esse. Posterius probabilius est.

Q. 14. *Qui sint effectus Sacramenti Matrimonii?*

R. Sunt. 1. Gratia *sanctificans* Secunda; quia Sacramentum vivorum. 2. Gratia *sacramentalis*, idest jus ad auxilia Dei pro subeundis Matrimonii oneribus.

Q. 15. *Quae sint solemnitates Sacramenti Matrimonii?*

R. Sunt *sponsalia*, et *banna*. Sponsalia sunt mutua promissio futuri Matrimonii; et requiritur aetas rationis, libertas sine dolo; consensus exterior, acceptatio mutua: secus invalida sunt. Jure naturae graviter obligant. *Banna* sunt publicae proclamationes, quibus indicantur sponsi matrimonium inituri; ut scientes aliquod impedimentum, sub gravi denuncient.

Q. 16. *Quid si quis ficte spoponderit, ut stuprum patraret?*

R. Si sit paris, vel quasi paris conditionis, tenetur ducere sub gravi. Si sit valde disparis conditionis, et id noverat virgo, sufficit dotare, quia decipi voluit: at si non noverat, ducere tenetur. Si timeantur scandala, rixae, etc. sat est dotare. Virgo cedere valet, quod vult.

Q. 17. *An sponsalia dissolvi possint, et quae sint causae dissolvendi.*

R. Dissolvi valent ut aliae promissiones. Causae sunt. 1. Mutuus consensus, votum Religionis, S. Ordinationis, castitatis perpetuae: nam sponsalia fiunt sub tacita conditione, nisi meliorem statum elegero: 2. Superveniens affinitas; vel subsequens fornicatio, quoad innocentem; vel connubium, quia fortius ligat. 3. Absentia longa unius sine alterius licentia; reclamatio illius, qui pubersatem assequitur, modo post triduum reclamat ac resilit. 4. Notabilis rerum mutatio, ut haeresis, deformitas, paupertas, rixae oriturae, etc. nam fiunt; *si res sint in eodem statu.*

Q. 18. *Quo jure, ac modo banna fieri debeant, et quos obliget?*

R. Jure Canonico; dispensari valent ab Episcopo; necessitate urgente etiam a Parocho. In propria Paroecia fieri debent; et si sponsi sint diversae, in utraque. Omnes denunciare tenentur, si aliquod sciant impedimentum etiam sub naturali sigillo, vel juraverint se non denunciaturos.

ART. 2.

Proprietates Matrimonii.

Q. 1. *Quid sint, et quot Matrimonii proprietates?*

R. Sunt speciales qualitates Matrimonii propriae. Praecipuae duae sunt: *Unitas*, cui adversatur *polygamia*; et *firmitas*, seu indissolubilitas, cui opponitur repudium.

Q. 2. *Quid sit Matrimonii unitas; quidve opposita illi polygamia?*

R. *Unitas* est conjunctio viri unius cum una. *Polygamia* est pluralitas uxorum cum uno viro; vel virorum cum una. Haec duplex est; *successiva* idest connubium cum alia, vel alio post mortem prioris conjugis; et *si simultanea*, idest connubium unius cum pluribus simul viventibus.

Q. 3. *Quae Polygamia sit vetita, et quo jure?*

R. Non *successiva*, sed *simultanea* vetita est; et quidem jure naturae. Nam si sit viri unius cum pluribus uxoribus, adversatur debiti redditioni; quia si petatur a pluribus simul, non omnibus tunc reddi valet. Si sit unius uxoris cum pluribus viris, adversatur educationi prolis, quae non haberet certum patrem.

Q. 4. *An Deus dispensare valeat in Polygamia simultanea?*

R. Negative in ea, quae sit unius uxoris cum pluribus viris: nam haec est ita intrinsece mala, ut cohonestari nequeat. Affirmative vero in ea, quae sit unius viri cum pluribus uxoribus, juxta urgente causa, uti dispensavit Deus in veteri lege, tum *naturae* ob genus humanum propagandum, tum *scriptae* ob Dei populum multiplicandum.

Q. 5. *An in Nova lege dispensari valeat in Polygamia simultanea?*

R. Negative adhuc in ea, quae sit unius viri cum pluribus uxoribus: nam quod permissum fuit in veteri lege, vetuit Christus in nova, ex *Matth.* 19. Hinc Trid. sess. 24. *Si quis dixerit, licere Christianis plures simul habere uxores, et hoc nulla lege divina prohibitum, anathema sit.*

Q. 6. *Quid sit Matrimonii firmitas, seu indissolubilitas?*

R. Est vinculum conjugale, quod nonnisi morte dissolvitur. Oritur a jure naturali Divino, ex *Trid. sess.* 24. Vinculo huic adversatur separatio, quae si solvat vinculum, *repudium* vocatur; si solum commercium *divortium.*

Q. 7. *An matrimonii vinculum morte dissolvetur in perpetuum?*

R. Affirmat: nam 1. Cor. 7. *Si dormierit vir ejus liberata est.* Hinc si miraculo resurgeret vir, non teneretur accipere uxorem superstitem, sicuti non accepit Lazarus resuscitatus. Valet vero aliam ducere, vel denuo primam novo consensu, ex Haebr. 11. *Acceperunt mulieses de resurrectione mortuos suos*; idest viros suos resuscitatos ab Helia, et Elisaeo.

Q. 8. *An matrimonium ratum, et non consumatum dissolvi possit?*

R. Dissolvi valet sola Religiosa professione, ut ex traditione divina definivit Trid. *sess.* 25. At tria requiruntur. 1. Ut intra bimestre a die conjugii deliberetur status Religiosus. 2. Ut intra bimestre nec etiam vi, vel metu consumetur Matrimonium. 3. Ut expectetur professio; nam tunc solvitur matrimonium, et alter conjux aliud inire connubium valet.

Q. 9. *An Matrimonium dissolvatur ob adulterium unius cojugis?*

R. Negative ex Trid. *sess.* 24. quam doctrinam vocat *Evangelicam.* At quoad thorum, seu commercium, et debitum dissolvi valet, nedum ob adulterium, sed etiam ob sodomiam, bestialitatem, haeresim, saevitiam, morbum contagiosum, etc. modo accedat sententia Judicis; nam contractus publicus auctoritate publica dissolvitur, manente vinculo.

Q. 10. *An matrimonium solvatur per susceptionem sacri Ordinis?*

R. Numquam dissolvitur. Nam privilegium dissolutionis jure divino conceditur tantum Religiosae professioni, quae uti mors mystica dissolvit ut mors naturalis, ut *sup. Q.* 7. Hinc qui occulte suscipit ordinem sacrum, etiam Episcopatus, tenetur cohabitare cum uxore in illo tantum conjugio, reddere, ac non petere, ac irregularis manet ob bigamiam.

Q. 11. *Quid si post elapsum bimestre quis deliberet, ac profiteatur Religionem?*

R. Plerique docent, adhuc dissolvi *ratum* tantum. At alii negant, quo in casu tenetur Religiosus cohabitare cum uxore in illo tantum conjugio, reddere, ac non petere, ac post obitum uxoris redire ad Religionem, modo filios educandos non habet, et irregularis manet.

Q. 12. *An de uxoris licentia, valeat quis suscipere sacros Ordines, vel statum Religionis?*

R. Affirmative modo uxor ingrediatur, vel votum castitatis de licentia Episcopi emittat, manente vinculo; *Cap. Sane.* Hinc si ambo congrediantur, proles erit legitima, esto sacrilega; illegitima vero si alteruter nubat, et gignat.

Q. 13. *An inter Infideles aliquando dissolvatur Matrimonium?*

R. Si ambo conjuges infideles fiant Fideles, vel contra, non dissolvitur; Trid. sess. 24. Si vero unus fiat fidelis, vel infidelis; tunc si infidelis nolit habitare pacifice cum fideli, ac sine contumelia fidei dissolvitur, etsi consumatum, et fidelis valet aliud inire, vel Religionem ingredi; *comm. cum D. Thom.*

Q. 14. *Quid si conjux infidelis velit habitare pacifice cum fideli?*

R. Alii affirmant dissolvi; alii negant. At dicendum, quod a tempore D. Pauli ad saeculum 13 non dissolvebatur; quia licita erat habitatio fidelis cum infideli. 1. Cor. 7. Si *Infidelis consentit habitare*, Fidelis non dimittat. At post saeculum 13. cum illicita evaserit talis cohabitatio, dissolvitur: nec obstant praefata Apostoli verba; quia subjunxit, *Ego dico*, *non Dominus*, et tunc licita erat cohabitatio.

ART. 3.

Impedimenta Matrimonii.

Impedimentum est obstaculum ineundo matrimonio. Duplex est; *impediens*, quod facit illicitum; et *dirimens*, quod nullum. Statui valent impedimenta, etiam dirimentia, nedum ab Ecclesia *Trid. sess.* 24. sed etiam a Principe saeculari, *D. Th.* 4. *Sent. Dist.* 24. Nam Matrimonium ante rationem Sacramenti est contractus: valet autem Princeps statuere leges etiam irritantes contractus.

Impedimenta impedientia.

Q. 1. *Quae sint impedimenta tantum impedientia?*

R. Sunt 1. Ecclesiae *vetitum*, idest Episcopi, vel Parochi prohibitio. 2. *Tempus* idest a Dom. 1. Adventus ad Epiphaniam; et a feria IV: cinerum ad Dominicam in Albis. 3. *Sponsalia* idest promissio matrimonii alteri facta, et non remissa. 4. *Votum*, idest simplex, vel castitatis, vel ingrediendi Religionem, vel non nubendi.

Q. 2. *Quid de illo, qui contraxit cum aliquo ex praefatis impedimentis?*

R. Si contra *vetitum*, et *tempus* graviter peccavit. Si contra *sponsalia* graviter peccavit, et altero conjuge mortuo, sponsalia reviviscunt. Si contra votum castitatis, graviter peccavit; nequit petere, ac reddere debet; sacrilege coit; mortuo altero conjuge, votum urget. Si contra alia vota ut supra, graviter peccavit, et vota non reviviscunt.

Q. 3. *Quis dispensare valeat in praefatis impedimentis?*

R. Episcopus in sua Diaecesi, excepto voto Religionis, et castitatis perpetuae, in quibus Papa dispensat, sicuti dispensat in impedimento haeresis, seu in Matrimouio catholici cum haeretico justa de causa.

Impedimenta dirimentia.

Q. 4. *Qnot sint impedimenta Matrimonii dirimentia?*

R. Sunt quatuordecim in sequentibus versibus expressa.

Error, conditio, votum, Cognatio, crimen;

Cultus disparitas, Vis, Ordo, Ligamen, honestas;
Si sis affinis, si forte coire nequibis.
Si Parochi, et duplicis desit praesentia testis;
Raptave sit mulier nec parti reddita tutae;
Haec socienda vetant, connubia facta retractant.

Error; idest deceptio mantis. Si sit circa personam, ut si quis unam velit, et aliam deceptus accipiat, dirimit matrimonium jure naturae; quia deest consensus. Si sit circa qualitates personae, ut si sit pulchra, virgo, etc. non dirimit, modo qualitas non reducatur in pactum, v. g. *si virgo non sit, nolo*; quia sic conditio est consensus.

Conditio; Idest status mancipiorum. Si hunc quis ignorat, dirimit jure Canonico. Secus si sciat, et consentiat. At Filii sunt liberi, vel servi, prout est mater; quia *partus sequitur ventrem, ex Jure.*

Votum; idest solemne Religionis, vel Ordinis sacri. Dirimit jure canonico, et probabilius etiam jure naturae: nam ratio dictat, quod non liceat alteri tradere, quod Deo promissum est.

Cognatio; idest propinquitas personarum. Triplex est. 1. *Carnalis*, quae vocatur *consaguinitas*, si personae sint ejusdem stipitis. Dirimit ad quartum usque gradum inclusive, et quidem jure naturae in quovis gradu lineae rectae, et probabilius in primo lineae collateralis: et in tribus aliis jure Canonico. 2. *Spiritualis*, idest propinquitas orta ex baptismo, et Confirmatione. Dirimit jure canonico matrimonium inter baptizantem, et baptizatum, hujusque patrem, et matrem: similiter inter confirmantem, et confirmatum etc. *Legalis*, idest propinquitas orta ex odoptione, quae jure Canonico dirimit in primo gradu, exceptis veris filiis adoptantis jam emancipatis. *Vid. infr. in appendice.*

Crimen, idest triplex est. 1. *Adulterium solum*, et requiritur, ut adulter, et adultera sint conjugati, et alter alterius vinculum sciat, et mutuo sibi matrimonium promittant, utrique altero conjuge mortuo. *Homicidium solum*; et requiritur ut vir, ac mulier, quorum saltem alteruter sit ligatus conspirent in mortem uxoris, vel mariti ob finem utrique notum ineundi matrimonium inter se, morte secuta. 3. *Adulterium cum homicidio*, et sufficiunt; licet nulla sit promissio mutua matrimonii, nec conspiratio in homicidium; sed istud fiat ab alterutro adultero, altero nesciente. Quodvis ejusmodi crimen dirimit matrimonium inter ipsos adulteros.

Cultus disparitas, idest inter baptizatum, et non baptizatum. Dirimit jure naturae, et Canonico. *Vis*, idest metus gravis injuste incussus, ad extorquendum consensum in nuptias. Dirimit jure Canonico. *Ordo*, idest sacer. Dirimit jure Canonico, etiam seclusa voti ratione. *Ligamen*, idest vinculum matrimonii: Dirimit jure naturae aliud matrimonium.

Honestas, idest propiuquitas orta 1. Ex validis sponsalibus, et dirimit inter sponsum, et consanguineos sponsae in primo gradu; ac vicissim. 2. Ex matrimonio rato; et dirimit inter sponsum, et consanguineos sponsae, ac vicissim ad quartum usque gradum inclusive. Oritur, et manet hoc impedimentum *publicae honestatis*, etiamsi sponsalia solvantur, et matrimonium sit nullum, modo tale non sit ex ligamine, vel defectu consensus. Est Jur. Eccl.

Affinitas; idest propinquitas orta ex copula carnali, quae si licita sit extenditur ad quartum gradum inclusive; si vero illicita, ad secundum gra-

dum inter maritum, et consanguineos uxoris; et vicissim; non vero inter utriusque consanguineos, quia affinitas non parit affinitatem. Est J. C.

Impotentia, idest inhabilitas ad coitum. Si pateat ante matrimonium, sit absoluta seu quoad omnes, et perpetua seu irreparabilis, jure naturae dirimit: secus si sit relativa seu quoad aliquas; et reparari remedio valeat. Si pateat post initum conjugium, permittitur triennalis experientia, qua irrita, pars altera nubere cui vult, valet. Hermaphroditus contrahere valet juxta sexum praevalentem: in aequalitate ad libitum: ac electum sexum mutare non decet, si denuo nubat.

Clandestinitas, idest defectus Parochi, ac duorum testium. Dirimit jure Canonico. Parochus Diaconus valet per seipsum: at nonnisi Sacerdoti delegare. Valet esse tum sponsi tum sponsae; ac licet dolo, vel metu adductus. Non ubique viget hoc impedimentum.

Raptus, idest violenta feminae abductio, matrimonii causa. Jure Canonico dirimit, si abducetur invita, et sub raptoris potestate consentiat in nuptias; secus vero si reddatur loco tuto, et ibi libere consentiat: vel si abducatur volens, licet invitis parentibus.

Q. 5. *An, et a quo dispensari valeant praefata impedimenta?*

R, Quae sunt juris naturae, ac divini sunt indispensabilia in Ecclesia: quae vero juris canonici, a solo Papa; et tunc solum ab Episcopo, cum sunt occulta simul, et non pateat facilis aditus ad Papam ob distantiam, paupertatem, vel ob periculum infamiae, scandali, etc. in mora.

APPENDIX.

DE LINEIS, ET GRADIBUS CONSANGUINITATIS.

I. In consanguinitate tria notanda; *stipes*, *gradus*, *linea*. *Stipes* est persona, ex qua aliae descendunt. *Gradus* est distantia personarum inter se, ac a stipite. *Linea* est personarum series a stipite.

II. Linea, vel est *recta*, idest series personarum, quarum una descendit ab alia, ut filius, pater, avus, etc. Vel est *collateralis*, seu *transversalis* idest series personarum, quae licet ab eodem stipite descendunt, una tamen non descendit ab alia, ut frater, et soror.

III. Linea collateralis vel est *aequalis*, si personae ab eodem stipite aequaliter distent, ut frater, et soror, filii fratris, et filii sororis etc. Vel est inaequalis, si non sit eadem distantia personarum a stipite communi, ut frater, et filii sororis suae.

IV. Tres regulae sont distinguendi gradus consanguinitatis. 1. In linea recta tot sunt gradus, quot personae dempto stipite, quia stipes non facit gradum; sic filius uno gradu distat a patre. 2. In linea collaterali aequali, duae personae tot gradibus inter se distant, quot a communi stipite; sic frater, ac soror uno gradu inter se distant, quia sic distant ab eorum patre; 3. In linea collaterali inaequali, duae personae tot gradibus inter se distant, quot remotior a stipite distat; sic frater, et filius sororis suae duobus gradibus inter se distant; quia sic distat filia sororis remotior a stipite.

V. Consanguinitas, *ex D. Th.* in omni gradu lineae rectae, naturae jure dirimit matrimonium: at in primo gradu, ut inter matrem viduam, ejusque filium, sic dirimere certum est. In collaterali ante *Later. IV.* jure Can. dirimebat usque ad 7. gradum; deinde ad 4. inclusive.

VI. Plerique docent, primum gradum in linea collaterali, ut inter fratres, et sorores, jure naturae dirimere. At Concina probabilius putat dirimere jure Canonico; adeoque dispensabile.

CASUS SPECIALES IN IMPEDIMENTA.

Casus I.

Cajus voto simplici castitatis uxorem duxit; *quid?*

R. Si votum sit *perpetuum*, dispensari eget a poenitentiaria, quia Papae reservatum; si temporaneum ab Episcopo: secus reddere, non petere debet; et si alia pars voti conscia erat, neuter petere, vel reddere valet. Interim Episcopus, et probabilius Confessarii Regulares habilitare valent ad debitum in illo tantum conjugio, si votum sit perpetuum. *Cuniliatus aliique.*

Casus II.

Eliseus post nuptias clam Religionem profitetur; *quid?*

R. Ob vinculum reddere debet; at petere nequit ob votum. Indiget dispensari ad petendum in illo tantum conjugio; quia in caeteris viget votum. Hoc in casu Papa suspendit vim voti, et declarat praevalere jus naturae, ac vim vinculi. Uxore mortua, nequit alias inire nuptias, ac de-

bet ad Religionem redire, modo filios alendos, ac educandos non habeat; quia sic jus naturae praevalet. Manet irregularis ob bigamiam similitudinariam.

Casus III.

Cajus Bertam ducit, cognita prius Bertae matre, quid?

R. Nullum est matrimonium, ob affinitatem in primo gradu; adeoque nec reddere valet. Indiget dispensari a Poenitentiaria, et novo mutuo consensu convalidare nuptias. Si scandalum in hoc sit, infamia, vel timor repudii, petatur dispensatio in radice matrimonii, idest, ut valeat prior consensus. Si periculum sit in mora, sufficit si Cajus Bertae dicat; *haberes me sponsum, si non essem?* et respondenti *etiam* dicat *sic et Ego*. Si etiam timor sit, satis est si Cajus petens, ac habens coitum maritali affectu, renovet in nuptias consensum; quia sic redditio Bertae, renovatio quoque illius consensus est per signa; et praesumitur Ecclesia dispensare. Sic *Auctor lucis in tenebris tom.* 3. *fol.* 203. *et* 204.

Casus IV.

Pater baptizat, vel tenet in baptismo, suum filium, quid?

R. Si necessitate id faciat, valet petere, ac reddere; quia baptismus magis urget, quam Canonicum impedimentum; *D. Th. p.* 3. *Q.* 67: Si secus, reddere tantum debet ob affinitatem spiritualem cum uxore. Hinc eget ab Episcopo dispensari ad petendum; et idem sit de Confirmatione, si pater filium teneat.

Casus V.

Titius uxorem ducit cum dubio de valore matrimonii; quid?

R. Si ambo dubitant, graviter peccant, ac neuter petere, ac reddere valet, donec obtineatur dispensatio. Si unus dubitet, hic reddere debet parti non dubitanti, quae petere valet esto sciat compartem dubitare, quia utitur jure suo. Dispensatione obtenta, mutuus consensus est renovandus. Si dubium nuptiis supervenerit, non obest ex illo juris: *Dubium superveniens possessori bonae fidei obesse nequit.*

Casus VI.

Quidam uxorem duxit sine Parocho, ac testibus, quid?

R. Quicquid sit de forma, et Ministro matrimonii, certum est, hunc defectum, ubi viget dirimere nuptias. Hinc dispensari opus est a *Dataria* si publicum, á *Poenitentiaria* si occultum sit impedimentum; et renovari matrimonium coram Parocho, et testibus.

Confessarii Regularis facultas in impedimenta.

Auctor lucis in tenebris tom. 3. fol. 204. num. 204. et fol. 318. num. 328. praeeuntibus Cuniliato, Ferraris, Aragona, etc. documentis plurimis ostendit Regularem Confessarium, ab Episcopo approbatum, facultatem habere habilitandi conjuges ad impeditum Matrimonii usum; necnon commutandi, ac dispensandi vota, et juramenta non reservata, ut sequitur.

I. Confessarius Regularis, absque alia licentia, commutare valet, ac dispensare juxta de causa juramenta, et vota simplicia Papae non reservata, licet jurata, modo non sint in praejudicium tertii: et id tum intra, tum extra Confessionem, et cum absentibus; itaut rogatus per literas, rescribere sufficit: *Dispenso.*

II. Confessarius Regularis commutare, valet, ac dispensare in votis simplicibus etiam Papae reservatis, si ob aliquam circumstantium a rigorosa reservatione deflectant. Sic deflectit a reservato voto perpetuae castitatis votum non nubendi, non fornicandi, suscipiendi sacros Ordines; vel si votum ex metu gravi fuit emissum, vel dubitatur, an validum sit. Sic etiam de trina peregrinatione, si non sit unice ob devotionem.

III. Confessarius Regularis de licentia sui Provincialis dispensare valet quoad debitum impeditum, tum ob votum simplex castitatis ante, vel post nuptias emissum, et id absolute, ac pro semper; tum ob votum castitatis perpetuum, sive ante, sive post nuptias emissum, et id in illo tantum matrimonio. Addit Auctor, ut supra tom. 3. fol. 320. num. 320. quod dispensare valeat etiam sine licentia Provincialis, prout dictum est superius de votis num. 1., quia privilegium directe respicit Confessarium Regularem ab Episcopo approbatum.

IV. Confessarius Regularis, de licentia sui Provincialis dispensare valet quoad debitum impeditum, tum ob cognationem spiritualem, tum ob affinitatem ortam ex copula illicita unius conjugis cum consanguineo alterius ad secundum gradum. Addit Auctor, quod dispensare valeat, tum etiam ad convalidandum matrimonium, si praefata co-

pula praecesserit nuptias, et sit occulta, tum absque Provincialis licentia, et prout supra dictum est *num.* 1. *ei* 3. Saltem id verum est, cum grave periculum sit in mora; *ut supra casu IV.*

V. Recensita Confessarii Regularis privilegia gratis a quibusdam Recentioribus in dubium revocantur. Ajunt enim illa non reperiri expresse in aliqua Pontificia Bulla. Infirma prorsus haec ratio est; quia privilegia conceduntur etiam *per vivae vocis oracula*. Revocavit quidem Gregorius XV. per Bullam, *Romanus Pontifex* illa vivae vocis oracula, sed quae sortita non fuerant suum effectum; *In his, quae sortita non sunt suum effectum, tenore praesentium revocamus.* At praefata privilegia jam in usu erant ante dictam Bullam revocatoriam, sicuti pene innumeri testantur Auctores.

ART. 4.

De licito, ac. illicito matrimonii usu.

Q. 1. *Quando Matrimonii usus sit licitus, ac meritorius?*

R. Cum fit in statu gratiae; amore justitiae, ac debiti redditione; vel amore Religionis ad augendum Dei cultum per generationem prolis. Si desit status gratiae, erit licitus non meritorius.

Q. 2. *Quando Matrimonii usus sit tantum venialis?*

R. 1. Cum *fit ob solam* voluptatem, vel sanitatem; et contrarium damnavit Innoceutius XI: dicitur *ob solam*, quia si ei accedat finis prolis, vel debiti, caret omni culpa. 2. Cum fit tempore menstrui, vel gravidantiae sine periculo abortus; vel nimis frequenter sine periculo pollutionis. 3. Cum fit contra modum, ut si vir succubat, si sedens, si stans, si a retro licet in vase proprio, modo non impediatur generatio: at gravidantia, et alia justa causa excusat.

Q. 3. *Quando matrimonii usus sit mortalis?*

R. Cum fit vel coram aliis; vel in loco sacro extra necessitatem; vel seminatur extra vas, vel susceptum semen expellatur; vel impeditur a voto castitatis, affinitate, cognatione spirituali, nullitate, ac dubio de valore matrimonii; seclusa dispensatione.

Q. 4. *An in usu matrimonii liceant oscula, tactus, verba obscena?*

R. Si ordinentur ad coitum, licita sunt; si secus, venialia; si cum periculo pollutionis extra vas, mortalia. At neuter conjux veluti truncum

praebere se debet, vel animo tristo: nam si per id impediatur generatio, vel seminatio erit mortalis; si secus, venialis.

Q. 5. *An petitio, vel redditio debiti sit obligatoria?*

R. *Petitio* non obligat; nam quis juri suo cedere valet. *Redditio* vero obligat sub gravi, si debitum petatur serio, instanter, rationabiliter: sub levi autem, si petatur remisse, nimis frequenter, absque necessitate. Omnia ex gravibus Auctoribus excerpta sunt. Atque de speculo theologiae *cordis*, sive *moralis* satis.

Monita.

I. Nonnisi obvius, et omnino planus dicendi stylus hoc in speculo theologiae cordis, sive moralis occurrit, acutiori de industria declinato, ne forte simpliciores scopulos offenderent aliquos.

II. Ubi constituta quaedam reperiuntur, nullo teste Auctore, nullaque adjecta ratione, argumentum est expositam doctrinam apud omnes exploratam esse, vel communius receptam.

III. Nulli mirum, si speculi hujus exigua sit moles. Nam sicuti materiale speculum, esto parvum valde, integram objecti refert imaginem; sic et morale istud, ut ipsum perlustranti patebit.

INDEX

TITULORUM, RERUMQUE NOTABILIUM.

PARS V.

PARS VI.

Praeclaris A. R. P. Ministri Provincialis obsequutus mandatis, volumen mole parvum, virtute magnum ab A. R. P. Fr. Thoma de Jesu S. T. L. Ex-Custode, ac Ex-Provinciali concinnatum, cui titulus in fronte *Speculum Theologicum etc.* studiose sum perscrutatus. Nihil in eo, quod catholicae Fidei, bonis moribus, Regiisque Juribus consentaneum non sit, mihi occurrit: quinimo Auctoris ingenium permulta paucis exponendi admirari est. Hinc Opus idem, profecto studiosis omnibus profuturum, in lucem edi posse censeo.

Fr. Felix de Cruce S. T. L. et Ex-Provincialis.

Exhibitum mihi librum *Speculum Theologicum etc.* inscriptum, ab A. R. P. Fr. Thoma de Jesu S. T. L. Ex-Custode, ac Ex-Provinciali elaboratum, A. R. P. Ministro Provinciali jubente, accurate perlustravi. Haud quidquam in eo, quod vel Religioni, vel probitati, vel Caesareo Juri adversetur, deprehendi. Quam belle potius claritatem, brevitatem, rerumque copiam praeclarus consociavit Auctor simpliciori stylo, phalerato rejecto. Istum propterea foetum tanto Parente dignum, ac Studiosae Reipublicae valde commodum, typis evulgandum judico.

Fr. Eugenius de S. Joseph S. T. L. ac Diffinitor

Fr. Leo de Maria Immaculata S. T. L. Ex-Commissarius Generalis, Almaeque S. Petri de Alcantara Provinciae Neapolitanae Minister Provincialis, ac servus = Dilecto nobis in Christo A. R. P. Fr. Thomae de Jesu S. T. L. Ex-Custodi, ac Ex-Provinciali salutem.

Tibi beneviso, tenore praesentium, nostrique muneris auctoritate libenter veniam impertimur, ad sanctae, ac salutaris obedientiae meritum, typis evulgandi opus *Speculum Theologicum etc.* inscriptum, et a duobus de nostra Provincia Theologis revisum, et adprobatum, caeteris ex Jure servatis. Neapoli ex Regio S. Luciae Montis Conv. XI. Kal. Nov. 1828.

A S. E. REVERENDISSIMA.

MONSIGNOR COLANGELO

PRESIDENTE DELLA GIUNTA PER LA PUBLICA ISTRUZIONE.

Eccellenza,

Gabriele Porcelli desidera di dare alle stampe un volume, che ha per titolo: *Speculum Theologicum Universae Theologiae mentis, et cordis prospectum exhibens*; ne implora perciò l'analogo permesso, e l'avrà - Napoli il dì 2. Luglio 1828. - Gabriele Porcelli.

PRESIDENZA

DELLA GIUNTA PER LA PUBLICA ISTRUZIONE.

A dì 2. *Luglio* 1828.

Il Regio Revisore sig. Padre D. Gaetano Monforte avrà la compiacenza di rivedere il soprascritto volume, e di osservare se siavi cosa contro la Religione, ed i dritti della Sovranità - Il Deputato per la Revisione de' Libri - Canonico Francesco Rossi.

Nihil obstat quin typis mandetur - P. D. Gaetano M. Monforte Reg. Revisore.

Napoli 14 Ottobre 1828.

PRESIDENZA

DELLA GIUNTA PER LA PUBBLICA ISTRUZIONE.

Vista la dimanda del Tipografo Gabriele Porcelli, con la quale chiede di voler stampare il volume, che ha per titolo: *Speculum Theologicum Universae Theologiae mentis, et cordis prospectum exhibens.*

Visto il favorevole parere del Regio Revisore P. D. Gaetano Monforte;

Si permette che l' indicato volume si stampi, però non si pubblichi senza un secondo permesso, che non si darà se prima lo stesso Regio Revisore non avrà attestato di aver riconosciuta nel confronto uniforme la impressione all' Originale approvato.

Il Presidente
M. Colangelo.

Pel Seg. Gen. e Membro della Giunta
L' aggiunto - A. Coppola.